

# SPRAWOZDANIE

DYREKCYI

**C. K. GIMNAZYUM**

w Jaśle

za rok szkolny

1884.

**Treść:**

- I. De satira Romana eiusque auctoribus præcipuis.
- II. Wiadomości szkolne.

**JASŁO,**

---

*Nakładem funduszu naukowego.*

Z drukarni L. D. Støgera w Jaśle, r. 1884.





nv. inh.

spv. 52

## I.

# De satira Romana eiusque auctoribus præcipuis.

Literas Romanas e Graecis esse natas inter omnes constat, et sane argumentis maxime idoneis demonstrari potest et scriptores Romani satis confirmant, omnia fere literarum Romanarum genera aut originem aut certe perfectionem Graecis debere. <sup>1)</sup> Nam non solum plerumque materiam et argumenta, verum etiam formas modosque a Graecis mutuabantur. Sed Romanos, quamvis in literis Graecos auctores habuerint, complura tamen literarum genera ipsos et invenisse et excoluisse contenditur potest. Præcipue unum poësis genus, dico satiram, non a Graecis petitam, sed propriæ Romanorum inventioni esse vindicandam, quamquam nonnulli et veterum grammaticorum et virorum doctorum et nomen et ipsum carminis genus a Graecorum fabula satyrica esse derivandum censuerunt, certissimis argumentis probari potest. Nam spectata et ipsius vocabuli derivatione et Romanorum scriptorum de prima huius poësis generis natura testimoniis et natura fabulæ Graecorum satyricæ, dubium esse non potest, quin satira Romanorum cum fabula satyrica Graecorum nullo pacto componi possit. Itaque ne longior sim, quam necesse est, omissis permultis, quas iam viri docti hac de re instituerunt quaestionibus diversisque eorum sententiis, equidem quid statuam, liceat demonstrare.

---

<sup>1)</sup> Cf. Hor. Ep. II, 1, 156: „Græcia capta ferum victorem cepit et artes intulit agresti Latio. Ibid. 161: „Serus enim (Romanus) Graecis admovit acumina chartis, et post Punica bella quietus quærere cœpit, quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.“ Bernhardt: Grundr. d. r. Lit. p. 206. E. Munk: Gesch. d. r. Lat. p. 59 sq.

Satira et satura est vox eadem ut maximus et maxumus, optimus et optumus, libido et lubido, libet et lubet, multa alia. Auctor est Casaubonus, qui in sua de satira Romana disputatione <sup>2)</sup> ita docet: „Sicut nihil differunt maxumus et maximus, optumus et optimus, citumus et citimus, genuculare et geniculare et similia multa, nisi quod prolatio per u vetustioris est Latinitatis: ita inter satura et satira non aliud discrimen statuendum est, quam aetatum.“ Satura descendit a voce „satur“ h. e. plenus, refertus, ut antiqua illius forma fuerit satura, unde litera u in i mutata factum est satira. Inde primum satura lancem variis frugibus fructibusque impletam, qua fragum primitiæ diis offerebantur significat, cuius modi lancium Vergilius mentionem facit. <sup>3)</sup> Cf. Diomed. III. p. 483. (et Putsch): „Lanx referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur et a copia et saturitate rei satura vocabatur.“ <sup>4)</sup> A similitudine huius lancis aliæ quoque res variæ mixtæ et compositæ saturæ nominatæ sunt. Ita saturæ nomine insignitum est genus quoddam farciminis multis rebus refertum, <sup>5)</sup> quin etiam alia esculenta varie mixta et composita ita sunt adpellata. Hoc nomen olim adiectivi dim obtinens, paulatim, ut multa alia huius modi, ad substantivi dignitatem evectum est.

Procedente tempore saturæ nomine insigniri consuevit, quidquid esset varie compositum atque miscellaneum. Tum vero usus loquendi etiam ita tulit, ut idem vocabulum ad eas quoque res traduceretur, quæ menti et ingenio debentur. Atque scriptores adhibent hanc vocem, ut significant, aliquid sine ordine, varie, legibus haud observatis fieri. Festo auctore leges per saturam latæ adpel-

<sup>2)</sup> De satyrica Græcorum poesi et Romanorum satira libri duo. Ed. Jo. Jac. Rambach Halæ 1774. 8. II, 4 p. 246.

<sup>3)</sup> Cf. Verg. Georg II 194. 394.

<sup>4)</sup> Cf. schol. Acr. ad Hor. rat. I, 1, 1: „Lanx plena diversis frugibus in templum Cereris infertur, quæ saturæ nomine adpellatur.“

<sup>5)</sup> Diomed. III p. 483 (ed Putsch:) Quoddam genus farciminis, multis rebus refertum satiram dicit Varro vocitatum.

latæ sunt, <sup>6)</sup> quæ varia argumenta nullo servato ordine nullaque facta singularum rerum distinctione complecterentur. <sup>7)</sup> Inde etiam aliæ locutiones ortæ sunt ut „imperium per saturam dare, <sup>8)</sup> quod uni rogationi multa promiscue admixta erant. Cf. Sall. Jug. 29, 5. „quasi per saturam sententiis exquisitis,“ ad significandum, nullum ordinem in sententiis exquirendis servatum esse. Atque hinc etiam explicationem habet, quod Lactantius Pescennium Festum historias per saturam scripsisse narrat. <sup>9)</sup> Cf. etiam Ammian. Marc. 16, 6. „quasi per saturam.“ <sup>10)</sup> Cum autem usus nominis isto modo pateret latissime, factum est, ut satura pœma quoddam diceretur, quod rerum maxime variarum atque temere compositarum farraginem contineret. <sup>11)</sup>

Apparet igitur Romanorum satiram omnino non a Græcis repetendam esse. <sup>12)</sup> Sed non nomen solum verum etiam genus ipsum carminis novum et Græcis intactum erat, id quod ex Horatii et Quintiliani testimoniis, quibus fides nulla ratione probabili abrogari potest, liquere videtur. Cf. Hor. Sat. Ol. 1. 65.

. . . . . fuerit limatior idem

Quam rudis et Græcis intacti carminis auctor, quo loco Horatius satiram carmine Græcis intactum nominat. Etiam Quintilia-

- 
- <sup>6)</sup> Fest. L. 17. Paul. p. 315. Ed. O. M.: satura et cibi genus dicitur ex variis rebus conditum et lex multis aliis conferta legibus, et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur.
- <sup>7)</sup> Isidor. Orig. V, 16: satira vero lex, quæ de pluribus simul rebus eloquitur, dicta a copia rerum et quasi a saturitate, unde et satiras scribere est poemata varia condere.
- <sup>8)</sup> T. Annii Luscus (cf. Cic. Brut. 20) in oratione contra Tiberium Gracchum habita ap. Festum p. 314: „imperium, quod plebes per saturam dederat, abrogatum est.“
- <sup>9)</sup> Cf. Lact. inst. div. I, 21, 13: „Pescennius Festus in libris historiarum per saturam refert Carthaginienses Saturno humanas hostias immolare.“
- <sup>10)</sup> Diligentissimæ hæc omnia exposita sunt a Casaubono l. I. II, 4, p. 249 (ed. Rambach.)
- <sup>11)</sup> Inven. I, 85: „quidquid agunt homines votum, timor, ira voluptas, gaudia, discursus nostri est farrago libelli.“ Paldamus: Über Ursprung und Begriff der Satira p. 15. Franz. Gerlach: Lucilius und die römische Satura Basel 1844 p. 10.
- <sup>12)</sup> Cf. Fritzsche; des Q. Hor. Fl. Sermonen I p. 13 sq.

nus J. O. X. 1, 93. Romanis laudem inventionis hisce verbis tribuit: „Satira quidem tota nostra est.“ Nihilo tamen secius fuerunt, qui hanc laudem Romanis abrogarent et similitudine nominum inter satiram et satyros intercedente decepti, non nomen solum, sed etiam originem eius a Græcorum fabula satyrica derivarent, <sup>13)</sup> inter quos Cæsar Scaliger primum locum obtinet. Poët. 1. 12. „Falluntur, qui putant, satyram esse latinam totam, a Græcis enim et inchoata et perfecta primum, a Latinis deinde accepta, atque extra scenam exulta. Quamobrem non a satura vel lege vel lance dicta est, ut frustra et temere satagunt grammatici. Quin has a satyris dictas puto.“ At satiram Romanam, qui a Græcorum Satyris vel satyricis fabulis originem et nomen traxisse censuerunt, ii non modo diserto testimonio Quintiliani adversati sunt, sed etiam ipsi Horatio repugnarunt. Porro natura et indoles satirarum non potest deduci a dramate satyrico, cum nihil cum illo plane habeant commune. Quo magis discrimen, quod inter drama satyricum et Romanorum satiram intercedat, intelligatur, nonnulla de Græcorum fabulae satyricae natura dicendum videtur esse. Casaubono auctore <sup>14)</sup> drama satyricum poema dramaticum est, tragœdiae adnexum, chorum e Satyris habens, personarum illustrium actionem notabilem, partim seriam partim iocosam edprimens, stilo hilari, exitu plerumque laeto. Cf. Diomed. III. p. 488. (ed Putsch): „Satyrica est apud Græcos fabula, in qua item tragici poëtae non reges et heros sed satyros induxerunt, ludendi causa iocandique, ut simul spectatores inter res tragicas seriasque satyrorum quoque iocis et lusibus delectarentur. <sup>15)</sup> Alii scriptores eam tragicarum fabularum comitem appellant. <sup>16)</sup> Quae testimonia diversam fabulae Græcorum satyricae a prima Romanorum satura naturam demonstrant.

<sup>13)</sup> Hanc opinionem defendit Guil. Langius Progr. 1836. Etiam C. L. Roth. de satiræ natura. Noribergæ 1843 p. 14: „abest a vero Quintilianus et quicumque sunt eum secuti, cum satiram ita volunt totam esse Romanorum, ut neminem Græcorum satirica quædam composuisse affirmant.“

<sup>14)</sup> Casanb. I. I. p. 100.

<sup>15)</sup> Cf. Hor. A. P. 220 sq.

<sup>16)</sup> Marius Victorinus de metr. p. 2527. Demetrius Phal.

Fabula satyrica nunquam carebat actione ex mythis petita, sed haec cum tragœdiis ei semper communis erat, proprium habebat chorum e satyris compositum et tragœdiis adnexa erat ad omnem tristitiam detergendam, quam spectatores e tragœdiarum argumentis perceperant, non autem quantum quidem ex Euripidis Cyclope, quae una eaque integra fabula superest, apparere videtur, ad vitia hominum deridenda; satiris contra Romanorum defuit chorus satyrorum, qui naturam dramatis satyrici constituit. Antiquissimae enim satirae, quod infra pluribus ostendetur, nihil nisi convicia mutua erant, non ex uno aliquo genere petita, sed a variis ac diversis rebus arcessita nulla ratione inter se coniuncta. Porro rationem carpendi alios et ridendi, verbisque mordacibus lacessendi, quae priscae Romanorum satirae propria est, nusquam Graeci verbo aliquo a Satyris petito insigniverunt, sed potius multis aliis usi sunt: σκώπτειν, κωμῳδεῖν, ἰαμβίζειν, ipsumque σατυρίζειν, non de cavillando et mordacitate acceperunt. Accedit, quod ne nomen quidem Satyrorum priscis temporibus notum erat Romanis, nam numina illa agrestia Faunos non Satyros vocaverunt. Quae cum ita sint, nomen satirae nullo modo a Satyris aut dramate satyrico est repetendum, nam quatenus hilaritas et ioci in literis omnium gentium inveniuntur, hactenus tantum dici potest, esse Romanis nonnulla in satiris cum Graecis communia.

Atque haec quidem hactenus. Nunc satira Romana unde orta sit et quae qualisque fuerit nobis est exponendum.

Ad dicacitatem et risum homines, curis omnibus soluti, epulis vinoque exhilarati, natura ducuntur, qua propter illa ridendi ac dicteris alios lacessendi ratio ad prima hominum commercia referenda est. Ut omnes priscae gentes sic etiam Romani post vindemiam et messem, cum frumenta in horreis condita essent, corpora fessa et ipsos animos otio recreantes, dies festos in honorem deorum agrestium obeundos cum magna gaudii et lætitiæ significatione celebrabant. Cf. Verg. Georg. II 385 sq.

Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloui  
 Versibus incomptis ludunt risuque soluto,  
 Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis,  
 Et te, Bacche, vocant per carmina læta. 17)

Agricolæ Romani non modo diis gratias ferebant verum etiam dieteriis salsis et petulantibus in se invicem iaciendis inter se concertabant, 18) unde Saturninos et Fescenninos versus, de quorum indole et natura discrimineque inter se parum notum est, originem traxisse, veterum testimoniis comprobatur. 19) Livro auctore (VII, 2) versus illi Fescennini ex festivitate et dura ac veluti agresti hilaritate profecti, erant rudes et inconditi, temere ac sine arte compositi obscœnis iocis pleni, quibus agricolæ delectandi causa se invicem temere excipiebant. 20) Convicia igitur erant mutua, non ex uno aliquo genere petita, sed a variis diversisque rebus arcessita, ordine et nexu sententiarum omni destituta, in quibus nec honesti nec decori ratio ulla habebatur. 21) Tantum erat Romanorum studium alios lacessendi, ut ne honestissimis quidem dignissimisque viris parcerent. Quæ consuetudo apparet etiam in carminibus triumphalibus, quibus exercitus imperatores triumphantes illudere solebant. 22) Horum versuum usus diu apud Romanos obtinuit,

17) Cf. Hor. Ep. II, 1, 139—160. Tibull. II, 1, 21 sq. Lucret. d. R. N. V 1395. Mommsen. R. G. I p. 206—208.

18) Munk. de fabellis Atell. Lips. 1840 p. 2. Dion. Halic. VII, 72: Δηλοῦσι δ' αἰ τῶν Θριάμβων εἰσοδοὶ παλαιὰν καὶ ἐπιχώριον οὔσαν Ῥωμαίοις τῆν. κέρτομον καὶ σατυρικὴν παιδιάν.

19) Cf. Hor. Ep. II, 1, 145 sq. H. Duentzer et Lersch. de versu quem vocant Saturnio. Bonn 1838.

20) Schol. ad Hor. Ep. II, 1, 145: Fescennina, iocularia carmina et probrosa, dicta ab oppido Fescennino. Ita etiam Munk. I. I. p. 13. Müller. Etrusker II p. 284. Rectius Corssen. Orig. poes. Rom. Berol. 1846 p. 127: Fescennini ideo dicti, quia fascinum putabantur arcere. Cf. Petermann. Über die Satire des Ennius. Hirschberg 1851 p. 2. Th. Broman. de versibus fescenn. Upsala 1852 p. 4.

21) Hor. sat. I, 5, 51 sq.

22) Cf. Liv. III, 29; IV, 53; V, 49 al. Carmina huius modi invenies ap. Suet. Cæs. c. 49, 51. Cic. Tusc. IV, 2, 4. cf. Gell. N. A. XV, 4. cf. Guicherit. de carminibus triumphalibus militum Romanorum. Lugd. Bat. 1846.



donec effrenata eorum licentia gravissimis legibus coerceretur. Quæ omnia dilucide demonstrant, Romanorum ingenii leporem vel potius mordacitatem ac maledicentiam propriam fuisse.

Temporum decursu ab rudibus illis atque incomptis versibus Fescenninis originem duxit aliud poësis genus, quod ad aliorum stultas et perversas cupiditates castigandas spectaret. Primum ab his exorta est satura scenica, unde fabulæ scenicæ videntur extitisse. <sup>23)</sup> Maximi ad id quod volumus explicandum momenti est T. Livii lib VII cap. 2 ubi de initiis rei scenicæ apud Romanos agitur. Quæ ibi retulit, eorum summa hæc fere est. C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone coss. gravi pestilentia sæviante cum ad iram deorum placandam ludi solemnnes editi essent, histriones Etrusci accersiti sunt. Qui cum inter ludos cantu omni et verborum pronuntiatione abstinuissent, nil nisi saltationes ad tibicinis modos ediderant. Eos deinde inventus Romana imitata est ita, ut impletas modis musicis saturas descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragerent. His verbis descripsit Livius originem priscae Romanorum saturæ dramaticæ. <sup>24)</sup> Quænam vero harum satirarum natura fuerit, ex ipsa vocabuli notione, quam varietatem et rerum copiam significare iam supra statuimus, colligi potest. Cum hæc satiræ ex illis alternis versibus petulantibus profectæ sint, in iis multas et maxime varias res e vita vulgari desumptas sine iusta argumenti cohærentia tractatas esse etiam ex Livii verbis clarissime patet. Quæ saturæ scenicæ Romanis, cum et risu soluto iocisque inconditis animos exhilararent et de vita et moribus disputarent, ita probatæ erant, ut nullum aliud poësis genus coli pateruntur. Temporum decursu has satiras secuta est fabularum scenicarum compositio, quarum auctor primus apud Romanos fuit Livius Andronicus, homo et Græcus natione et Græcis literis excultus a M. Livio Salinatore, cuius liberos erudiebat, libertate donatus. <sup>25)</sup> Is enim teste Livio (VII, 2) „post

<sup>23)</sup> Cf. Stieve de rei scenicæ ap. Romanis origine. Berol. 1828.

<sup>24)</sup> Val. Max. II, 4, 4: paulatim deinde ludicra ars ad satirarum modos perrepsit.

<sup>25)</sup> Cf. W. Teuffel in Pauly's RealEnc. IV p. 1118 sq. Mommsen. I p. 861 sq.

aliquot annos ab saturis ausus est primus argumento fabulas serere" i. e. cœpit scribere carmina in scenis agenda, quæ uno argumento constarent et inter se omnibus partibus cohærent, non multas et varias res ut priscæ illæ saturæ miscerent. <sup>26)</sup> Itaque hic iustæ poësis scenicæ auctor apud Romanos exstitit. Deinde cum Livius Andronicus primus a saturis ausus esset argumento fabulam serere et fabulis e Græco sermone in latinum conversis a risu et soluto ioco rem avocasset, scenica illa quæ dicitur satura, ut initio magis magisque est exulta, ita postea cum et ars histrionum et ipsius fabulæ argumentum a prisca morum simplicitate longius recederent, negligi est cœpta. Tum inventus Romana, ne antiquus ille ludendi mos evanesceret retulit in scenam risus iocosque priorum satirarum, exodiorum nomine. Auctor est Livius VII, 2: „postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res avocabatur et ludus paullatim in artem verterat, inventus histrionibus fabularum actu relicto, ipsa inter se more antiquo redicula intexta versibus iactitare cœpit, quæ inde exodia postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt". <sup>27)</sup> Quare iis eadem et sententiarum et numerorum ratio, quæ satiris supra descriptis inerat, attribuenda est. Exodium nihil aliud est, nisi ludus, qui alium sequitur, quam ob rem Livius horum exodiorum rationem parum accurate explicavit, cum ea cum fabulis Atellanis conserta esse dicit, <sup>28)</sup> nam more Græco exodia locum post tragoedias peragendas aptissimum tenebant, utpote exitum quasi fabularum efficientia. <sup>29)</sup> Quam ob rem non solum sæpe cum Græcorum fabulis Satyricis conferebantur (Diomed. III p.

<sup>26)</sup> Val. Max. II 4, 4: a saturis primus omnium poeta Livius ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit. Dion. Halic, VII, 9.

<sup>27)</sup> De Atellanis cf. Casaub. I, I. II p. 175 (ed. Rambach.) W. Teuffel in Pauly's Real-Enc. I p. 1957 sq. Munk. de fabellis Atellanis Lips, 1840 p. 15. Th. Keller. de lingua et exodiis Atellan. Bonn. 1850.

<sup>28)</sup> O. Jahn. Hermes II p. 227.

<sup>29)</sup> Schol. ad Juven. III 175: Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat quia ridiculus foret, ut quidquid lacrimarum atque tristitiæ conlegissent ex tragicis affectibus huius spectaculi risus detergeret.

485 ed. Keil), sed etiam a Satyris dicta putabantur, quamquam cum fabulis illis, ut supra expositum est, nihil iis commune est, nisi quod in utriusque generis poematis res ridiculae pudendaeque erant propositae.

Non multo autem posteaquam Livius Andronicus iustas fabulas scenicas docere coepit, scriptores exstiterunt, qui rudioris illius saturae materiam tractare inciperent artificiosius et ad exemplum et similitudinem satirae scenicae poemata componerent, legenda tantum modo non in scenis exhibenda. Hoc quoque carminum genus ob argumentorum similitudinem i. e. ob varietatem et rerum tractatarum et metrorum adhibitorum satira nominatum est. Jam ex hac ipsa origine, qualis fuerit harum satirarum natura, optime intelligitur: nam cum certo quodam ordine certoque argumento omnino carerent, ex vita quotidiana sermones petebantur, castigabantur aequales, quorum aut res gestae aut mores displicerent, praedicabantur etiam, qui laudem merere viderentur. Sed quia ad viuperandum multo propensior est quam ad laudandum animus humanus, minime mirum est, irrisorem et dicacitatem in satiris mox prevaluisse. Horum autem satirarum non scenicarum duplex est genus, quarum unum veteres Varronianam sive satiram Menippeam, alterum Lucilianam sive satiram  $\chi\alpha\tau' \epsilon\lambda\epsilon\sigma\chi\eta\nu$  dicebant. Illius auctor antiquissimus est Ennius huius inventor Lucilius fuit.

## II.

Cognito duplici satirae Romanae genere persequemur scriptores, quos utrumque genus nactum est. In diiudicandis autem singulis poetis satiricis ratio habenda est aetatis, qua illi floruerunt. Ita enim optime cognosci potest, quam viam quamque rationem unusquisque in ea excolenda inierit et quae natura et indoles satirarum cuiusque poetae fuerit.

Satiras legendas tantummodo non in scena exhibendas primus scripsit Q. Ennius, qui anno 515 u. c. Rudiis in Calabria

natus, a Catone maiore Romam deductus <sup>30)</sup> est. Literarum Græcarum et Latinarum maxime peritus <sup>31)</sup> in variis et poësis et prosæ generibus elaboravit. Sed cum eius carmina epica et tragica commentationi nostræ aliena sint, iis omissis, statim ad carmina satirica perscrutanda transeamus. Quot satirarum libros literis consignaverit, incertum est. Porphyrio (ad Hor. sat. I, 10, 46) eum quatuor libros satirarum reliquisse dicit, sed huic testimonio repugnat Donatus (ad Terent. Phorm. II, 2, 25), qui sextum librum memorat. Fortasse hoc loco numerus corruptus est. Harum satirarum quæ fuerit natura, accurate intelligi non potest, cum earum tantummodo nimis exiguæ exstant reliquæ. <sup>32)</sup> E paucis tamen, quæ supersunt, fragmentis et veterum testimoniis apparet, Ennium in satiris suis bona consilia, utilia præcepta hominibus dedisse, interdum etiam vitia hominum perstrinxisse, homines ad virtutem exercendam revocavisse. Qui cum notaret atque describeret, si quid in moribus hominum aut ridiculi aut inhonesti ab officio naturaque discrepare videretur, in satiris vitia humana quamquam in universum vituperavit, multum tamen affuit, ut singulos ætatis suæ homines depravatos nominatim perstringeret atque exagitaret. <sup>33)</sup> Quintilianus eum inter alia ait, mortem et vitam in personas mutasse et contententes in satira induxisse. <sup>34)</sup> Cum igitur argumentis e vita petitis utilitatem communem moresque hominum spectaverit, satirarum eius naturam didacticam fuisse probabile est. Vis enim satirarum Eunianarum non tam irridendo et increpando, quam ludendo et monendo, imo etiam laudando exprimitur. Sed non solum rerum, verum etiam metrorum varietate

<sup>30)</sup> Corn. Nep. Cat. I, 4.

<sup>31)</sup> Gell. N. A. XVII, 17, 1: Ennius tria corda habere sese dicebat, quod loqui græce et osce et latine sciret.

<sup>32)</sup> Vahlen. Enn. p. reliq. p. LXXXI—XC.

<sup>33)</sup> Vahlen. Enn. p. rel. p. I.XXXIII.

<sup>34)</sup> Quint. J. Or. IX, 2, 36. Gell. N. A. II, 20: sed formas quoque fingimus sæpe ut Famam Vergilius (Aen. IV, 473,) ut Voluptatem et Virtutem, quemadmodum a Xenophonte (Mem. II, I, 21) traditur Prodicus, ut Mortem et Vitam, quas contententes in satira tradit Ennius.

satiræ Eunianæ distinctæ erant, a qua metrorum varietate etiam nomen eas accepisse contendit Hermannus <sup>35)</sup> cum dicit: „quo facto haud scio an ipsum illud significetur, quod toti huic nostræ disputationi propositum est, eius quidem satiræ, quæ a vaga et fluctuante nominis vi ad certæ potestatis ambitum traducta literas Latinas novo poësis genere locupletavit, Lucilium auctorem ac principem fuisse, illa vero carmina, quæ eodem nomine ab Ennio edita fuerint, propter solam inscriptionem a metrorum varietate repetitam permisceri cum ea non debere.“ Ibid. p. 27. „idque solum retinebo, . . . Ennii satiras, quantum quidem veterum testimoniis constet, a metrorum tantum varietate nomen accepisse, carmen autem ipsius argumenti varietate miscellum . . . primum Lucilium condidisse.“ — Quod etiam veterum testimoniis comprobatur. Cf. Diomed. (III p. 483 Putsch.) „Olim carmen quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.“ Cf. Quint. X, 1, 95: „Alterum illud et iam prius satiræ genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit M. Terentius Varro,“ ubi verba „iam prius genus“ ad Ennianam satiram pertinere sine dubio videntur. E fragmentis, quæ supersunt et ex veterum testimoniis <sup>36)</sup> intelligi potest, Eunium non solum in libris diversis, verum etiam in eodem libro diversa metra, hexametros heroicis <sup>37)</sup>, trimetros iambicos, trochaicos, alios inter se sine ullo ordine et lege immiscuisse, ita ut satiræ ipsius non solum argumentorum, sed etiam numerorum varietate insignes fuerint.

Ennii vestigia legit Pacuvius, qui eius ex sorore nepos fuit. <sup>38)</sup> Natus Brundisii a. u. c. 534 plurimum Romæ vixit, ubi picturam exercuit et fabulas venditavit, deinde Tarentum transgressus prope nonaginta annos natus diem supremum obiit. <sup>39)</sup> Satirarum Pacu-

<sup>35)</sup> De satiræ Romanæ auctore ex sent. Hor. Serm. 1, 10, 66 p. 24.

<sup>36)</sup> Gell. N. A. II 29.

<sup>37)</sup> Cf. Ovid. Trist. II 424. Hexametri Enniani neque maiestatem et elegantiam Vergilianorum neque levitatem et concinnitatem Ovidianorum habent.

<sup>38)</sup> Plin. h. n. 35, 7.

<sup>39)</sup> Gell. XIII, 2, 2.

vianarum cum ne fragmenta quidem nobis tradita sint, quæ fuerit natura, nihil certi disputari potest, sed eas Ennianis simillimas fuisse, ex Diomedis iam laudato testimonio: „ . . . quale scripserunt Pacuvius et Ennius“ intelligi potest, nam Diomedis loco excepto nusquam earum fit mentio. Itaque de his fere idem, quod de Ennianis fortasse dicendum est, quapropter eas silentio omitamus.

Maiore cum laude in hoc quod tractamus satirarum genere scribendo versatus est M. Terentius Varro, a quo ipso hoc genus dictum est Varronianum. <sup>40)</sup> Floruit Varro Ciceronis ætate et tanta omnium literarum copia erat instructus, ut Quintilianus <sup>41)</sup> eum doctissimum eruditissimumque Romanorum omnium nominare non dubitaverit, Fuit peritissimus linguæ latinæ et omnis antiquitatis et rerum Græcarum et Romanorum et tam multa scripsit, quam multa vix quendam legere potuisse credamus. <sup>42)</sup> Et re vera ingenium eius, iudicium subactum, doctrinam rerumque cognitionem, quam amplexus est, amplissimam in scriptorum eius deperditorum numero et diversitate etiam nunc admiramur. Numerus eius satirarum permagnus videtur fuisse, cum centum fere titulos enumerare possimus. <sup>43)</sup> De his Varronis libris fortuna nihil fere nobis reliquit, unde iniuria temporum magnam iacturam antiquitatis studium fecit. Ad indolem et naturam Varronianæ satiræ cognoscendam Quintiliani locus J. O. X, 1, 95 maximi est momenti: „Alterum illud et prius satiræ genus (sc. Ennianum) sed non sola carminum varietate (sc. sed etiam sermonis) condidit M. T. Varro.“ Ex his verbis apparet, Varronianæ satiræ in universum eandem fuisse naturam, qualem Ennianæ et Pacuvianæ. Pertinebat enim Varronia-

<sup>40)</sup> K. L. Roth. Über das Leben des M. Ter. Varro. Basel. 1857. G. Boissier. Étude sur la vie et les ouvrages de Varron. Paris 1861. Mommsen, III 589.

<sup>41)</sup> Quint. X 1, 93: vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros et doctissimos composuit. Cic. ad Att. XIII, 18.

<sup>42)</sup> Augustin. d. civ. d. VI, 2.

<sup>43)</sup> Franc. Oehler. Sat. Menipp. reliq. Lips. 1844. A. Riese. Lips, 1865. Rhein. Mus. XXIV p. 140 sq.

na quæ dicitur satira omnino ad morum doctrinam, nam his satiris continebantur vitæ rerumque humanarum descriptiones maxima varietate adumbratæ atque ita institutæ, ut et documenta salubria proponerentur et vitiosi hominum mores corrigerentur, hac quidem moderatione, ut etiam ridendi iocandique hilaritate uteretur. Sed non solum hominum vitia, libidines, avaritiam, impietatem, perfidiam, quæ tunc temporis magis magisque per totam rempublicam grassari cœperant, in satiris perstringebat Varro, sed etiam res ex historia, mythologia, philologia, ritu sacrorum, philosophia, desumptas intexuit, quæ immensam arguerent doctrinæ amplitudinem: id quod ex fragmentis, quæ supersunt apparet. <sup>44)</sup> Quæ cum ita sint, satiras eius varietatem rerum ex omnibus literarum generibus decerptarum complexas esse liquet. Id confirmatur etiam a Cicerone, qui Acad. I, 2, 3 ita eum compellat: „Atque ipse varium et elegans omni fere numero pœma fecisti, philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis ad docendum parum.“

In hoc tam numeroso, tam variis et diversis rebus composito opere prosam orationem cum varii metri carminibus commiscuit et in hoc præcipue ab Ennio et Pacuvio differre videtur. Satiras enim eius partim versibus omnium fere numerorum (cum præter trimetros iambicos, quibus Varro sæpenumero est usus, etiam tetrametri trochaici, dimetri et tetrametri anapæstici, versus heroici, alii reperiantur) partim oratione soluta compositas fuisse, non solum e fragmentis apparet, sed etiam ab antiquis sriptoribus confirmatur. <sup>45)</sup> Quin etiam eum Græca cum Latinis miscuisse, ex inscriptionibus eius librorum adhuc servatis clucet.

Quo in genere satirarum Varro ita excelluit, ut ab auctoris nomine Varronianum diceretur. Sed quæritur, cur Varronis satiræ Menippæ dicantur. Varronem ipsum satiras suas Menippeas nominavisse, veteres memoriæ prodiderunt. De hac re Gellius II, 18, 7 hæc habet: „Servus Menippus fuit, cuius libros M. Varro in

<sup>44)</sup> Cf. Casaub. l. 1 p. 200 (ed. Rambach) ubi tituli afferuntur et recensentur.

<sup>45)</sup> Prob. ad. Verg. Ecl. VI, 31. Cic. Acad. 1, 2, 3.

satiris æmulatus est, quas alii cynicas, ipse appellat Menippeas.<sup>46)</sup> Imitatus igitur est Varro in satiris conscribendis Menippum Gerdarensem, <sup>46)</sup> philosophum cynicum, quem constat dialogis suis carmina ex Homero et Euripide petita, ad alium sensum eumque fere ridiculum et iocosum traducta inseruisse, captionesque philosophorum ad vitam beatam nihil facientes refutavisse. <sup>47)</sup> Quantum Varro Menippo debuerit, ipse professus est apud Cic. Acad. I. 2, 8: „Et tamen in illis veteribus nostris, quæ Menippum imitati, non interpretati quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice: quæ quo facilius minus docti intelligerent. iucunditate quadam ad legendum invitati, in laudationibus philosophiæ, in iis ipsis antiquitatum præmiis efficere voluimus, si modo consecuti sumus.“ Quibus ex verbis intelligere potes, Menippeas a Varrone dictas esse satiras suas non quod solutam orationem cum versu miscerent sed quia Varro, ut supra ostendi, Menippi Cynici quædam in philosophos scripta imitatus esse videbatur. Cuius rei auctor est Probus ad Verg. Ecl. VI v. 31: „Varro Menippeus non a magistro, cuius ætas longe præcesserat sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras suas expoliverat “

Sed hæc sufficere puto ad naturam satiræ Varronianæ cognoscendam. Posteris temporibus exstiterunt, qui hoc genus satirarum studiosius colerent atque imitando effingerent. Eiusdem enim generis est satira L. Annæi Senecæ in Claudium Cæsarem ἀποκολοκόντως inscripta, in qua et versus insunt prosæ orationi interpositi et Græca Latinis mixta reperiuntur. Nec vero inde abludunt Petronii Satirica, Juliani Μισοπώγων et Marciani Capellæ „Nuptiæ Mercurii cum Philologia.“

Progrediamur ad alterum satiræ Romanæ genus, quod post

<sup>46)</sup> Th. Fritsche. Menipp. und Horaz. Gustrov 1871 p. 7.

<sup>47)</sup> Cf. Diog. Laert. VI, 99: τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει καὶ τι ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου. Strabo l. XIV eum σπυδογελοῖον appellat.



Ennium exortum est.

Alterum idque nobillissimum satiræ genus fuit illud, quod a Lucilio inventore appellatum est Lucilianum. Is primus illius satiræ auctor fuit, quæ nostris temporibus satira vocatur i. e. primus talem satiræ naturam tribuit, qualem posteriores poëtae satirici servabant. Etsi enim iam ante eum Ennius aliique scripserant satiras, carum tamen indoles et forma tam erat diversa, ut Lucilius ab Horatio novi generis auctor et inventor merito appellatus videatur. Cf. Hor. sat. I, 10, 48 et 66 <sup>48)</sup> et II, 1, 62: „cum est Lucilius ausus in hunc operis componere carmina morem.“ Quæ Horatii testimonia confirmantur ab Quintiliano J. O. X, 1, 93: „Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius.“ Cf. etiam Schol. ad sat. I, 1, 1: „Satiricum carmen a primo omnium auctore Lucilio repertum est.“

Sed quaeritur quonam iure scriptores Lucilium inventorem satiræ nominare potuerint, cum in eo poësis genere iam alios antea elaboravisse inintelleximus. Ne longus sim, hanc quaestionem respondeat Horatius (sat. II, 1, 69 sq.)

„Primores populi arripuit populumque tributim,  
„Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.“

Inde apparet Lucilium propter carpta a se hominum vitia et licentiam in ipsius poëmatis adhibitam satiræ inventorem appellatum esse. Luciliana enim satira differebat ab Enniana non

<sup>48)</sup> Nomen „auctoris“ ad nomen proprium „Lucilii“ referendum esse, non autem, quod plerique statuunt, ad Ennium: id probabiliter exposuit C. Fr. Herrmann. in commentatione iam sæpius laudata: de satiræ Romanæ auctore ex sent. Hor. serm. I, 10, 66. Marburg, 1841. Contrariæ opinionis patroni fuere: Petermann. in progr. Hirschberg, 1846, 1851; Vahlen: Enn. poes. reliq. p. LXXXIII. Nipperdey in commentatione de locis quibusdam ex primo satirarum Jenæ 1858 p. 18 rude illud et Græcis intactum carmen omnino non ad satiram esse referendum existimavit, cui adsentiens Ribbeckius (*Literarisches Centralblatt* 1859 p. 189 *Jahn's Jahrbücher* 77, p. 213) ipsam poesim Saturniam intellegi voluit.

solum carminis genere sed materia et illius tractandae modo. <sup>49)</sup>  
 „Nam spectavit ut ait Casaubonus (in libro iam sæpius laudato p. 214)  
 ad doctrinam moram utraque haec satira: sed Lucilius multo ma-  
 gis quam Ennius personis adhaesit, et quia plures semper mali  
 quam boni, in notandis obiurgandisque vitiosis plurimus fuit.“  
 Primarium igitur Lucilii consilium hoc fuit, ut vitia cuiusvis ge-  
 neris et singulos aetatis suae homines depravatos nominatim per-  
 stringeret atque exagitaret; vis contra satirarum Ennianarum  
 ludendo et monendo, non tam irridendo et increpando exprimitur.  
 Dixi de discrimine quod inter satiram Ennianam et Lucilianam  
 intercedit, nunc ad Lucilii vitam, ingenium rationemque scribendi  
 enarrandam transeamus.

Circa id tempus, quo Carthaginem Romani obsidebant, natus  
 est C. Lucilius <sup>50)</sup> eques Romanus Suessac, oppido Aurancorum Sp.  
 Postumio Albino L. Calpurnio Pisone coss. Fuit avunculus magnus  
 Cn. Pompei <sup>51)</sup> et familiaritate usus est P. Corn. Scipionis Aemi-  
 liani, Laelii, aliorum primorum civitatis. Annos quadraginta sex  
 natus mortuus est Neapoli ac publico funere elatus. Juvenis diligen-  
 tissime incubuerat in Graecarum et Romanarum literarum studium  
 et tam acri ingenio praeditus erat, ut ab ipsa natura ad satiras  
 scribendas factus fuisse videatur.

Jam quaeritur num Lucilii aetas ad satiras scribendas apta  
 fuerit. Sunt enim, qui contendant Lucilii aetatem ad hoc poësis  
 genus provocandum minus idoneam fuisse. At notissimum est, quam  
 corrupta et depravata fuerit iam Lucilii aetate prisca morum inte-  
 gritas. Carthagine aemula et Corintho deletis maxima pars homi-  
 num gulae, luxuriae, aliis libidinibus indulgebat; quae vitia in dies

<sup>49)</sup> Cf. Baehr. Gesch. d. r. Lat. p. 217: grössere Ausbildung erhielt die Satire durch den römischen Ritter Lucilius. Bernhardy p. 244.

<sup>50)</sup> De Lucilio cf. Petermann: de Lucilii vita et carminibus. Vratisl. 1842. R. Buterweck. de Lucilio satirico Merseburg 1871. Fragmenta eius collecta edidit Fr. D. Gerlach. Turici 1846. L. Müller. Lips. 1872.

<sup>51)</sup> Vellej. Paterc. II, 29, 2: fuit (Pomp.) genitus matre Lucilia, stirpis senatoriæ. Schol. ad Hor. sat. II, 1, 75: constat enim Lucilium avunculum maiorem Pompei fuisse.

magis magisque in rempublicam irrepere cœperant. Ut bonae virtutes iacere, sic artes et literae florere coeperant. Graecorum scriptis, Menandri praesertim exculti Romani rusticitatem illam in iocis magnam partem iam deposuerant et Graecos imitantes linguam suam magis magisque formabant. Loquendi scribendique studium neque legibus neque timore impediabatur. Et civitas libera, in qua dicendi scribendique libertatem nemo est qui prohibeat maxime idonea est ad poëtam satiricum provocandum. Qua de causa Lucilius pristinae virtutis Romanorum memor et ut ipse ait, hoc virtutis proprium esse arbitratus,

Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,  
Contra defensorem hominum morumque bonorum, <sup>52)</sup>

quidquid animadvertit in publica aut privata Romanorum vita depravatum summa cum libertate notavit et posteritati tradidit. Satirarum Lucilianarum triginta libri fuisse videntur, quorum singuli singulis inscriptionibus ornati erant <sup>53)</sup>.

Jam vero ut transeamus ad naturam et formam satirarum Lucilianarum explicandas, hoc primum puto considerandum, satirarum Lucilianarum nulla integra servata non nisi dispersa per multorum libros fragmenta superesse, multa illa quidem sed paene omnia tam corrupta, lacerata et lacunis depravata, ut pauca plerumque verba contineant; contra totam sententiam compluribus versibus comprehensam raro fit, ut reperiamus. <sup>54)</sup>

Jam supra exposui, satirae Lucilianae argumentum ad per-versos hominum mores denotandos et corrigendos omnino compositum fuisse. Sed hoc maxime distat Lucilius a priori satirae genere, quod non solum ut Eunius, mores suae aetatis in universum notavit, sed etiam veteris comoediae more singulos et certos homines in his principes rei publicae, nulla dignitatis ratione habita, <sup>55)</sup>

<sup>52)</sup> Luc. frgm. ap. Gerlach. p. 79.

<sup>53)</sup> Cf. Becker. Zeitschr. f. Alterthumwiss. a, 1843 p. 246.

<sup>54)</sup> Ex grammaticis fragmentorum Lucilianorum longe plurima memoriae prodidit Nonius Marcellus, qui quam parum diligenter veterum scriptorum et sententias et verba in rem suam convertcrit, nemo nescit.

<sup>55)</sup> Cic. de nat. decr. I, 23.

si modo approbrio digni videbantur, nominatim perstrinxit et id quidem summa acum audacia atque acerbitate.<sup>56)</sup> Quod testantur gravissimi Romanorum auctores. Cf. Hor. sat. I, 10, 3:

. . . . At idem, quod sale multo  
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.  
Persius sat. I, 114.

. . . . secuit Lucilius urbem,  
Te Lupe te Mutti, et genuinum fregit in illis.

Severi eius et acerbi animi, quo effrenatas civium libidines castigavit, testimonium exhibet etiam Quintilianus, qui eius libertatem, acerbitem, abundantiam salis commemorat <sup>57)</sup> et Juvenalis, qui eum esse velut stricto ardentem infremere dicit Cf. Juv. sat. I, 165, sq:

Ense velut stricto quoties Lucilius ardens,  
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est  
Criminibus, tacita sudant praecordia culpa.

Etiam a Cicerone magna verborum libertate in stultos et improbos invectus dicitur. Cic. ad Fam. XII. 16. „qui magis hoc Lucilio licuerit adsumere libertatis quam nobis?“ Hac de causa si quid iudico, Horatius postquam Eupolin et Cratinum et Aristophanem poëtas commemoravit, hinc omnem pendere Lucilium dixit. Cf. Hor. sat. I. 4, 1. sq. ubi haec leguntur:

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae,  
Atque alii, quorum prisca comoedia virorum est,  
Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,  
Quod moechus foret, aut siccarius aut alioqui  
Famosus, multa cum libertate notabant.  
Hinc omnis pendet Lucilius, hosque secutus  
Mutatis tantum pedibus numerisque . . . .

<sup>56)</sup> Apul. apol. 10: C. Lucilium, quamquam sit urbanus tamen improbarim quod Gentium et Macedonem pueros directis nominibus carmine suo prostituerit.

<sup>57)</sup> J. O. X, 1, 93: nam in eo (Luc) libertas atque inde acerbitas et abunde salis.

Haec satirae Romanae cum comoedia antiqua cognatio in illa libertate et orationis festivitate posita est, qua poëta, si quem famosum videbat, notavit et castigavit, unde etiam factum est, ut „mutatis tantum pedibus numerisque“ in satira idem plane, quod Graeci in comoedia expertus esse videatur.

Qualis esset in universum character satirarum Lucilianarum, postquam breviter expositum est, a proposito haud alienum esse videtur materiam a poëta in satiris tractatam accuratius cognoscere.

Ex fragmentis, quae supersunt, apparet, Lucilium plurimos praestantissimos viros nominatim perstrinxisse summa cum loquendi et scribendi libertate. Qua cum libertate iungebat festivitatem ac leporem, comitatem urbanitatemque ita, ut vel in vituperando comis fuerit. Quam virtutem Lucilio propriam fuisse testatur Horatius sat. I, 10, 53, ubi haec leguntur: „Nil comis tragici mutat Lucilius Atti“ et sat. I, 4, 8; II, 1, 75. <sup>58)</sup> Sed non solum exercuit Lucilius censuram morum, sed quaecumque ad publicam et privatam vitam pertinebant, ea omnia versibus inclusit ita, ut aequales totam rei publicae et vitae quotidianae rationem morumque imaginem in Lucilii satiris expressam viderent. Quin etiam quaecumque ipsi evererant, ea omnia „velut fidis sodalibus credebat libris“ ita, ut ipsius poetae „vita omnis pateret votiva veluti tabella descripta.“ Cf. Hor. sat. II, 1, 30. sq:

„Ille velut fidis arcana sodalibus olim  
 „Credebat libris, neque, si male cesserat, usquam  
 „Decurrens alio, neque si bene; quo fit, ut omnis  
 „Votiva pateat veluti descripta tabella  
 „Vita senis.“ . . .

Sic in tertio satirarum libro iter, quod a Roma Capuam et ad fretum usque Siculum fecerat, descripsit, id quod Porphyrione auctore Horatius sat. I, 5 imitatus est; quinto cum alia, tum suum morbum et coenas, quales rusticorum esse solebant, nono autem ortographiam atque alia grammatica, denique decimo sexto

<sup>58)</sup> Gell. N. A. VI, 14. 6: vere et propria exempla in latina lingua M. Varro esse dicit . . . . gracilitatis Lucilium Cic. de or. II, 6.

amores suos tractavit. <sup>59)</sup> Sed alias quoque res in satiris suis exposuit: sic in carpendis poëtis et Graecorum et Romanorum eum occupatum fuisse, veterum scriptorum testimonia demonstrant. Cf. Hor. sat. I, 10, 53. Gell. N. A. VII, 3, 28; XVII, 21, 49. Schol. ad Hor. sat. I, 10, 67. Serv. in Aen. XI, 601. Neque minus locorum, montium, fluviorum, maris, tempestatum lepidas intexuit descriptiones, multis locis egit de re militari, accedebant fabellae e poëtarum scriptis haustae et excerptae, multa alia. Ex iis, quae adhuc de materia et indole satirarum Lucilianarum disputata sunt, maximam argumentorum varietatem a Lucilio in satiris adhibitam esse apparet. Quare de Lucilii satirarum natura cum multa alia praecipua tum verissimum hoc dicit Munk. Röm. Litg. I p. 251 sq.: „Sie (die Satire des Luc.) umfasst Alles, was Gegenstand der Besprechung unter Gebildeten werden kann; sie äussert sich über Alles, was gerade das allgemeine Interesse erregt. Sie ist politisch, wenn sie sich über öffentliche Angelegenheiten ausspricht; sie ist social, wenn sie die Zustände der Gesellschaft berührt; literärisch, wenn sie die schriftstellerischen Leistungen ihrer Zeit beurtheilt; sie gibt ihre Meinung über Kunst und Wissenschaft ab; sie unterhält durch Schilderung interessanter Erlebnisse des Dichters selbst oder anderer; kurz, es gibt fast nichts, was der Satiriker nicht in seinen Bereich ziehen könnte.“ Neque minus rem acu tetigisse videtur Heinrich. (Juven. sat. I. p. 12) etiamsi brevius disputat: „Lucilius war ein Sittenmaler, seine Dichtart schöpfte er aus dem wirklichen Menschenleben, war ein Lehrgedicht zu sittlichen Zwecken mit der Absicht Thorheiten und Unsittlichkeiten zu rügen.“

Sed in iis quae de Lucilianae satira natura et indole disseruimus, iam acquiescendum est; restat ut de metris Lucilianis pauca dicamus. Constat inter omnes, qui fragmentis Lucilianis operam navarunt, non minorem metrorum et versuum quam ipso-

<sup>59)</sup> Cf. Petermann: de Luc. vita et carminibus p. 24 sq. J. Becker. in der Zeitschr. für Alterthumswiss. 1843. Nr. 31. C. L. Roth. de sat. Rom. indole p. 6.

rum argumentorum esse varietatem in Lucilii satiris. <sup>60)</sup> Lucilius primus pro rudi illo et horrido versu Saturnio dactylicum in satiras induxit. Neque tamen Lucilio usus versus heroici lex erat perpetua, ut omnibus aliis metrorum spretis eum tantum adhiberet. Usus enim erat versu dactylico tantum in primis viginti quinque libris et in tricesimo, <sup>61)</sup> in reliquis autem varia metra adhibuit, ita tamen, ut in eadem satira uno tantum metro uteretur. Contrarium affirmat Gerlach. (Luc. sat. reliq. proleg. p. 109,) qui Lucilium in eadem satira vario metrorum genere usum fuisse contendit. Quae eum ita sint, apparet Lucilium in satiris suis a satirae Enniana forma non multum esse mutatum, naturam autem satirae Lucilianae tantopere differre ab Enniana, ut recte Lucilius inventor huius poësis generis vocari possit.

Absoluta hac metrorum, quae in Lucilii fragmentis inveniuntur quaestione, iam restat, ut Lucilianum dicendi genus in universum paulo accuratius recenseamus. De oratione Luciliana criticorum sententiae magnopere discrepant. Fuerunt, qui Lucilium orationis venustate et gracilitate excelluisse putarent. <sup>62)</sup> Nihilo secius tamen reprehensores illi non defuerunt; imprimis propter sermonis negligentiam ab Horatio acriter carpitur. Horatius certe in eo multa desideravit, quae ad perfectae artis laudem necessario requirentur. Nam primum quidem in eo reprehendit prolixam copiam et abundantiam, qua non habito indoneo rerum ac sententiarum delectu, quidquid ipsi in mentem venisset, in publicum emisit. Deinde numeros Lucilii ut duriores et horridiores notavit, quapropter ipsum vocat „durum componere versus,“ numeros autem eius arbitratur „incomposito pede currere.“ (Sat. I, 10, 56.) Porro nominat eum garrulum et pigrum recte scribendi ferre laborem, quippe qui in hora saepe ducentos versus dictet, stans pede in uno. Cf. Hor. sat. I, 4, 9:

<sup>60)</sup> R. Bouterweck, quaest. Lucil. comm. prosodiaca, metrica. Elberfeld 1867.

<sup>61)</sup> Teuffel. R. Litg. p. 234.

<sup>62)</sup> Gell, VI, 14, 6.

„Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,  
 „Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno;  
 „Cum fluerent lutulentus, erat quod tollere velles;  
 „Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,  
 „Scribendi recte.“

Denique etiam illud improbat, quod Graeca Latinis miscuerit, quod censet esse ineptissimum. <sup>63)</sup> Hæc igitur sunt fere, quæ Horatius in satiris Lucilii reprehendenda esse iudicavit. Quod quidem acre Horatii iudicium neque æqualibus, utpote veterum poetarum amore captis, probatum est, neque Quintiliani ætate placuit omnibus, qui Lucilium contra ista opprobria fortiter defendit, cum dicit J. O. X, 1, 94: „Ego quantum ab illis (sc. qui Lucilio omnia tribuerent) tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium lutulentum et esse aliquid, quod tollere possis, putat. Nam et eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abunde salis.“

At illa vitia non sine ullo iure notavit Horatius. Nam in fragmentis Lucilianis inveniuntur Græca vocabula Latinis immixta, <sup>64)</sup> verba Græca in Latinas terminationes exeuntia, denique non pauca a Plauto, Pacuvio, Ennio repetita. Quæ cum confirment Horatii iudicium, tamen id mitigatur, quod Lucilius ipsius populi sermonem exprimere studuit, et ad hunc sermonem quotidianum imitandum magis quadrat incompta et simplex oratio. Non reperies quidem in satiris Lucilianis illam orationis elegantiam et venustatem, qua excelluit Horatius, Græcarum literarum studio factus politior, verum tamen nudam et incomptam orationem, sed pro illis temporibus satis subtilem, quæ neque nimis attollitur neque submittitur, sed quam maxime variatur. Quod Lucilius verbis Græca Latinis miscuit, hoc vitium temporis potius quam auctoris fuit. Quæ cum ita sint, mirandum non est, carmina eius a Romanis plurimi habita et diligenter lecta esse. Cf. Suet. d. ill. gr. c. 2 et 14; Gell. IV, 17, 1. Juv. 1, 165. Pers. 1, 114. Quantopere Lucilius Romanis

<sup>63)</sup> Sat. 1, 10, 20, Gerlach, proleg. ad Lucil. 129. R. Bouterweck. die griechischen Wörter bei Luc, in Philolog. XXXII p. 691 sq.

<sup>64)</sup> Cf. lib. V frg. 1, XIV frg. 5; XVII frg. 1.



in deliciis fuerit, perspicui potest ex iis, quæ Quintilianus memoriæ prodidit J. O. X, 1, 93: „Quosdam ita sibi adhuc deditos habet (Luc.) amatores, ut cum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus præferre poetis non dubitent,“ et ex Taciti dialogo de oratoribus c. 23: „ . . vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio... legunt.“ Adde quod ex ipsius Horatii satira decima libri primi hoc facile intellegitur, etiamtum multos fuisse Lucilii admiratores, contra hos enim tota, quæ illa satira continetur ratiocinatio est instituta. <sup>65)</sup> Sed satis hæc de Lucilii satira eiusque natura et forma. Progrediamur nunc ad Horatii satirarum et naturam et formam explicandas.

Præcipuum esse inter satirarum scriptores Horatium et velut principatum quandam obtinere cum veterum tum recentiorum de eo præclara iudicia et testimonia ostendunt. Huius nos dum satirarum rationem enarrare volumus, ea præmittenda cernimus, sine quibus nec intelligi recte singula, nec explicari possunt. Quod iam supra admonuimus, respiciendum nobis esse maxime, quo tempore satiricorum quisque vixerit, quippe quod ad tractandam et excollendam satiram maximam vim habuisset etiam hoc loco nequaquam negligamus. Quare primum de vita poetæ et reipublicæ statu pauca præcipiemus, deinde de satirarum natura et indole, tum de materia, novissime de forma et qua ab aliorum satiris discernuntur differentia. Jam ad singula accedamus.

Q. Horatius Flaccus <sup>66)</sup> natus est Venusiæ, in oppido Apuliæ, sexto Jd. Dec. L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato coss. <sup>67)</sup> Pater, homo libertinus, exactionum coactor erat h. e. publicanis operam conduxerat ad vectigalia aliasque pecunias eorum nomine exigen-

<sup>65)</sup> Cf. imprimis sat. I, 10, 48: neque ego illi detrahere ausim hærentem capiti cum multa laude coronam.

<sup>66)</sup> De vita Hor. cf. W. Teuffel. Horaz eine lit. hist. Übersicht. Tübingen 1843. W. E. Weber. Q. Hor. Fl. als Mensch und Dichter. Jen. 1844, Fr. D. Gerlach. Leben und Dichtung des Horaz: Basel 1867 Franke. Fasti Hor. p. 5 sq. L. Müller. Q. Hor. Fl. eine lit. hist. Biographie. Leipzig 1880.

<sup>67)</sup> Suet. vit. Hor. — Ep. 1, 20, 27. Carm. III, 21, 1.

das. <sup>68)</sup> Ad elementa prima discenda Venusiæ frequentavit aliquamdiu ludum Flavii cuiusdam, qui Horatii patri parum probabatur. <sup>69)</sup> Qua de causa ab eodem Romam deductus, grammaticos, qui Homerum et veteres Romanorum poëtas enarrabant, atque rhetores nondum Asiatico tumore corruptos sed ad Ciceronis, Antonii reliquorumque oratorum celebrium exempla formatos, frequentavit. Horatius autem in his lectionibus non substitit, sed mox accessisse videtur ad legendos potissimos Græcorum scriptores, uti Platonem, Menandrum, Archilochum. Deinde adolescens viginti annos natus Athenas se contulit, ut doctrinæ studia conficeret. <sup>70)</sup> Mox autem Horatius et pæne omnes illi juvenes Romani, qui tum Athenis literarum discendarum causa versabantur, a Bruto commoti sunt, ut bello instanti interessent. Tribunus militum legioni præfectus (sat. I, 6, 48) Athenas reliquit et pugnæ, quæ ad Philippos facta est, interfuit, sed fuga salutem petivit, <sup>71)</sup> Mox usus lege illa oblivionis ab Augusto proposita Romam rediit, ubi, cum rem familiarem proscriptioe amisisset, quæstorii scribæ munus suscepit, ut vitam sustentaret. Videtur autem horum hominum vita admodum molesta atque operosa fuisse, quapropter Horatius, cum literarum atque otii esset amantissimus, aliquot post annis hoc munus ultro deposuit. Non multo postquam e Græcia Romam rediit, epodis quibusdam et satiris iam tum divulgatis factum esse videtur, ut in notitiam Varii et Vergilii veniret. Qui autem effecerunt ut prima Horatii et Mæcenatis fieret congressio. A Mæcenate in numerum amicorum receptus, prædio Sabino donatus est, <sup>72)</sup> videlicet ut totum se poësi et literis dedere posset. Inter Horatium autem et Mæcenatem intercesserat intima familiaritas eaque ad mortem

<sup>68)</sup> Sat. I, 6, 45: Ep. I, 20, 20.

<sup>69)</sup> Sat. I, 6, 72.

<sup>70)</sup> Ep. II, 2, 43 sq. Th. Arnold. Von den griechischen Studien des Hor. Halle 1854—5.

<sup>71)</sup> Carm. II, 7, 9: Tecum Philippos et celerem fugam sensi relicta non bene parmula . . . .

<sup>72)</sup> W. Pfitzner. Über das sabinische Landgut des Horaz, Parchim 1864.

utriusque est continuata. <sup>73)</sup> Quantopore ille poetam nostrum dilexerit, intelligitur e testamenti eius parte, qua hisce Augusto Horatium commendat: „Horatii Flacci ut mei memor esto.“ A Mæcenate Horatius in Augusti amicitiam adductus est, qui ei officium epistolarum obtulit, quod autem poëta recusavit. Sequenti tempore consuetudine assidua et familiaritate summorum virorum magis politus, rerum et publicarum et privatarum vicissitudinibus earumque causis perspectis, id genus philosophiæ sibi comparavit, quod in scholis tradi non potest. Horatius enim non, ut plerisque tunc mos erat, certam aliquam disciplinam secutus est, sed quæ meliora sibi videbantur, ex omnibus elegit. <sup>74)</sup> Ne copiosius disseram de eius institutione philosophica hoc addo: summa philosophiæ Horatianæ redit eo, primum ut te aliis hominibus rebusque externis minime facias obnoxium, tum ut summam adhibeas prudentiam ad vitam læte tranquilleque transigendam. Quæ his duabus sententiis contineri videtur, quarum unam ex Aristippi doctrina desumsit, Ep. I, 1, 19: „Et mihi res non me rebus subiungere conor,“ alteram his verbis complexus est, Carm. I, 11, 8: „Carpe diem quam minime credula postero.“ <sup>75)</sup> Cum igitur ita sentiret, abstinuit, quantum fieri poterat, a vita urbana, et ambitione atque honorum cupidine vacuus, plurimum atque libentissime in prædio Sabino commorabatur. <sup>76)</sup> Mortuus est a. u. c. 746, postquam Mæcenas paucis ante mensibus obiit. Humatus est et conditus, ut ait Suetonius, extremis Esquiliis iuxta Mæcenatis tumulum.

Hæc de Horatii vita. Nunc paucis liceat considerare, quo tempore Horatius vixerit quique tum status rei publicæ fuerit. Magna inter Horatianam et Lucilianam ætatem apparebit diversitas,

<sup>73)</sup> De necessitudine Hor. et Mæc. pluribus exposuit Frandsen, in: „Mæcenas Leben“ Altona 1843. p. 194 sq. Arthur Lankmayr; das Verhältnis des Hor. zu Mæc. Freistadt 1875.

<sup>74)</sup> Ep. I, 1, 13. Cf. Th. Vogel, die Lebensweisheit des Horaz. Meissen 1868.

<sup>75)</sup> A. Arnold; das Leben des Hor. und sein philosophischer, sittlicher und dichterischer Charakter, Halle 1860.

<sup>76)</sup> Ep. I, 14, 10: rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum...

si mores spectantur. Lucilius quidem irruentium errorum semina et initia videbat; at virtus etiam tum colebatur palamque laudabatur. Longe aliter erat Horatii ætate. Nam tunc temporis mores, antea paulatim lapsi, iam cœperant præcipites ire et in republica atrocibus bellis civilibus lacerata, pro prisca illa Romanorum virtute, vitia inter se maxime contraria, turpis avaritia et profusa intemperantia, cupiditas insana divitiarum, libidinum, voluptatum animos civium impleverat. Qui olim inopem, duram simplicemque agebant vitam mortemque pro patria oppetere summam laudem esse duxerunt, luxuriæ avaritiæque omnes fere indulgebant, militiæque laborum impatientes a mercennariis se suaque defendi patiebantur. Quæ artes instrumentaque luxuriæ atque voluptatis excogitari poterant, omnia Romam translata splendidissime honorabantur. Atque cum omnes id tantum agerent ut luxuria affluerent vitæque otiosi perfruerentur, quid mirum, quod, cum paupertas pro vitio haberetur, vita in omnia scelera effusa decori esset, ii, quibus patrimonio facultates parvæ obvenissent, alii aliam ingrediebantur viam, qua ad beatam vitam pervenire possent, quodque nihil tam sordidi, nihil tam abiecti erat, quod cives Romani illius ætatis non susciperent, non tentarent? Nemo iam ea ætate munus publicum ideo petivit, ut patriæ serviret sibi que dignitatem pararet, sed ut divitias coacervaret quam maximas sordidissimasque cupiditates libidinesque satiaret. 77) Et rerum civilium facies utique erat tum longe tristissima. Bella civilia, proscriptiones, dictaturæ perpetuæ et triumviratus opes reipublicæ subruebant, omnia plena erant rapinis, cædibus, factionum turbis et partium studiis, donec Romani Augusti dominationem, elata republica libera, subirent. Quæ dominatio, quamquam libertatem sustulit, tamen meliorem civitatis statum effecit. Augustus enim reddidit civitati quietem et dignitatem, multa vitia severis legibus coercuit. Ut autem animos civium sibi devinciret, libertatisque dulcedinem oblivione obrueret, plebem munerum magnificentia ludorumque varietate mulcebat,

77) Höck. Röm. Gesch. vom Verfall der Republik bis zur Vollendung der Monarchie p. 315 sq.

principes beneficiis cuiusvis generis sibi conciliabat. Idem artes literasque atque ingenia omnibus modis fovit et ad studia artium et literarum excitabat, qua in re ab amicis, quorum optimos circa se semper habuit, egregie est adiutus, ut a Mæcenate, Asinio Pol- lione, aliis. Quare factum est, ut multa et præclara illa ætate existerent ingenia, quorum opera ad mores civium, si non emen- dandos, at certe excolendos plurimum contulerunt, <sup>78)</sup> His tempo- ribus floruit Horatius. Quæ cum ita essent, quid mirum, quod Horatius pristinæ virtutis memor et ab honesto parte ad præstan- tissimas quasque virtutes adsuefactus, pravas suæ ætatis cupidi- tates et perversos civium mores contemplatus, ad vitia sceleraque in satiris perstringenda sese accinxit, ut et suos et alienos mores notando emendaret et excoleret? In his satiris omnes eæ virtutes eminent, quæ ab ingenue instituto, optimis exemplis perpolito, con- suetudine summorum et elegantissimorum virorum formato, multoque usu et experientia subacto ingenio exspectari poterant.

Sed iam ad naturam et indolem satirarum Horatianarum ac- curatius describendas progrediamur. Ac primum quidem hoc dili- genter observari atque teneri debet, in satiris Horatianis nusquam attingi res civiles atque publicas, sed unice notari vitia hominum communiæ, quæ res in temporibus a Lucilii ætate longe diversis et in eo explicationem habet, quod ipse Horatius, natura sua mo- deratus in omni re ac tranquillus, ab accerrimo et vehementi Lu- cillii ingenio longe abhorruit. Illa enim libertas loquendi scriben- dique, quæ Lucilii temporibus neque legibus neque metu præcisa erat et nullam fere vel ordinis vel generis rationem habebat, Au- gusto regnante plane obmutuit, quo factum est, ut satira Horatii multo mitior ac lenior fuerit. Materiæ amplitudinem, quam olim satira complexa erat, prudenter temperavit et ad certam quandam ridiculi formam ac speciem restriuxit, ut omnis eius vis imprimis in describendis vitiis et perversatibus expromeretur: qua re sati-

<sup>78)</sup> C. Julius Bolia. De Horatio et Iuvenale satirarum auctoribus. Friburg. Brisg. 1861 p. 15 sq.

ram Romanam ad summum fastigium perduxit. Horatius a flagitiis, cum pubice coererentur, abstinet, stultitiam et errores humanos, ex quibus vitia nasci solent, satiræ materiam facit versaturque in illis leniter urbaneque ridendis et cavillandis. Noluit hac in parte imitari Lucilium, qui scripsisset mordacius et inclementius in æqualium vitia invectus esset, sed quidquid in vita privata peccatum erat, iocose deridet, vitam honestam et suavem iucunde commendat. Noluit quemquam ultro lacescere, sicuti ipse cum alibi tum imprimis sat. II, 1, 39 professus est, <sup>79)</sup> sed facete et iocose æqualium errata non tam propter vitiositatem notavit, quam propter stultitiam, qua sibi ipsi nocerent. Generatim igitur non nominatim homines vitiosos perstrinxit, quam ob rem omnibus fere gratus fuit. Et si hic illic certos quosdam homines ut Hermogenem Tigellium, Pantomabum, Nomentanum, Nasidienum, alios, in satiris castigavit et ne amicis quidem pepercit, tamen, quantacunque erat temporum illorum licentia, nec modum eum excessisse, neque usquam de industria lividum atque mordacem fuisse videmus. Quamquam igitur Horatius in satiris lenis et facetus fuit, tamen vitare non potuit, quin illorum, quos aut vero aut ficto nomine notaverat, animos in se commoveret, <sup>80)</sup> qua re Horatium tempora et homines in satiris verissime castigasse, maxime comprobatur. Quamvis Horatius in iis, quæ ad mores pertinent, præcipue occupetur, tamen passim etiam materiam ex literis, et artibus et philosophia sumit, præsertim cum iudicium de Lucilio eiusque poematum indole et natura proferat (sat. I, 4; I, 10; II, 1,) atque placita Stoicorum cavilletur. Ne sibi ipsi quidem pepercit, sed quæ ipsi viventi prosperæ aut adversæ contigerint res, vivide narrat; in se ipsum enim iocatur, quod in iram præcipitem (II, 3, 323,) quod lippum (I, 5, 49,) quod ad amores propensum (I, 5, 82,) quod corporis exigui (II, 3,

<sup>79)</sup> Cf. sat. II, 1, 39: sed hic stilus haud petet, cupido mihi pacis, s. I, 4, 78 sq.

<sup>80)</sup> Sat. I, 4, 88. II, 1, 1.

309) se esse profitetur. <sup>81)</sup> Subridens suas excusat lascivias, mira cum urbanitate iterum atque iterum repetit, se ipsum venia aliorum egere atque cupere, ut sibi „dulces ignoscant si quid peccarit stultus, amici.“ Optime de hac Horatianæ satiræ materia indicat Kœnig. „de sat. Rom“ p. 62, cum dicit: „Vitia immania notare suum non erat, sed philosophiam illam, quam non doctorum formulis, sed multa rerum experientia sibi comparaverat et quæ in omnibus vitæ partibus plus utilitatis habet, quam omnium philosophorum scrinia, cum aliis voluit communicare præceptaque sua in hominum animos cum eorum voluptate inducere... Voluit docere, instruere, errores, quibus animi opprimerentur, evellere, opiniones hominum pravas et temere acceptas tollere, aut emendare, rationem, qua optime, secure, tranquille, honeste et cum voluptate vivere possis, ostendere et hæc omnia ita, ut nulla magistri severitate, nullo philosophi supercilio, nulla docti cuiusdam ostentatione offendereris, sed ut amico ludenti, aut potius veritati ipsi, habitu cultuque simplici et amoeno, multa cum urbanitate loquenti, operam dare tibi videreris.“ <sup>82)</sup> Ex his Kœnigii verbis de materia satirarum Horatianarum apparet, omnem earum vim non tam castigando et increpando quam ludendo et ridendo exprimi. Itaque non mirum, quod hoc satiræ genus Romanis, qui ad hilaritatem propensiores erant, quam ad gravitatem acceptum se reddidit et quod adeo multum ad mores emendandos attulit.

Natura et indole satirarum Horatianarum descriptis sequitur, ut de rebus, quas Horatius in singulis satiris tractavit, disseramus. Horatii vita in tempora incidit, quibus vita forensis penitus iam evanuit, quare factum est, ut satiræ Horatianæ argumentum in vita privata acquiescat; poeta id agit, ut hominum stultitiam ostendat, utque eos ad vitandum, quod malum, ad agendum, quod bonum

<sup>81)</sup> Morem illum se ipsum carpenti poeta Græcis videtur debere. Cf. Plut. Symp. II, 1, 8 qui idem a comicis poetis observatum esse docet: Καὶ τῶν κωμικῶν ἔνοι τὴν πικρὴν ἀραιεῖν δοκοῦσι τῷ σκώπτειν ἑαυτούς. Arnold. l. I. p. 39.

<sup>82)</sup> Sat. I, 4, 36 sq.

impellat atque excitet. Itaque variam ridendi iocandique materiam sapientissime ita instituit, ut singulæ satiræ in singulis argumentis illustrandis versarentur. Quo uno maxime hic consecutus est, ut singula hæc poëmata in se ipsis essent perfecta atque singula artis opera existerent. Diligentissime enim illud observavit ut unicuique satiræ una aliqua eaque principalis sententia tamquam fundamenti loco subiecta esset, ad quam unam omnia atque singula referrentur, quaque id efficeretur, ut nihil temere positum, nihil inconsiderate adiectum videretur, sed omnia essent sollertissime inter se coniuncta atque constricta. Satiræ ad vitia perstringenda sunt 12, quæ sunt I, 1; 2; 3; 6; 8; 9 II, 2; 3; 4; 5; 7; 8. In prima libri primi satira castigat atque reprehendit poëta inconstantiam hominum, qui sortem a natura sibi destinatam contemnant, laudent alienam; in secunda sale acerbo perfricat moechorum insaniam atque perversitatem, in tertia perstringit eos, qui cum suis ipsorum vitiis nimis indulgeant, in reprehendendis aliis, qua debeant æquitate non utuntur. In sexta invehitur in homines iniquos et malevolos, qui ipsi gratiam et favorem Mæcenatis invidebant, in octava inducit Priapi statuam, in horto, quem Mæcenas in campo Esquilino ædificandum curaverat, lepidissime narrantem, quo ridiculo modo Canidiam, quæ antea Horatii videtur fuisse amica, et eius sociam Saganam, veneficas, in fugam coniecerit. In exprimendis hominum naturis qualis Horatius artifex fuerit, exemplum est satira libri primi nona, in qua poëta ipse narrat, quanta in urbe ambulans a garrulo quodam, qui eius auxilio Mæcenatis favorem aucupari seque in illius insinuare volebat familiaritatem, affectus sit molestia. Quæ satira hominis garruli descriptionem exhibet optimam. Magna festivitate, ut civibus ingentes sumptus, quos sæpe ad epulas splendide exstruendas impendebant, et profusæ vitæ damna ante oculos proponat, inducit in secunda libri secundi Ofellum rusticum, simplicem quidem, sed salutarem victum laudantem et perversis suæ ætatis hominibus commendantem. Eodem lepore ad homines, qui in contrarium vitium inciderant, castigandos, poëta omni ætatis vitio mederi studens, lectorem ducit ad coenam Avi-



dieni, hominis turpi avaritia infamis, cui propter immunditiam ac sordes Canis nomen erat (II, 2, 56,) qui vescitur oleis vetustate corruptis et cornis silvestribus. Non minus lepide deridet Horatius (sat. II, 5) illos homines, qui, quod tunc temporis sæpissime fiebat, blandimentis et malis artibus, testamenta captabant; Ulixi enim, Tiresiam vatem apud inferos consulenti, quomodo res suas afflictas sarcire possit, is eius rei perficiendæ facillimus commendatur modus. Non minus lepide ac iocose perstringit sat. II, 8 ridiculam illorum superbiam, qui ex infima sorte ad opes elati, nobilitatis et elegantiae in victu cultuque speciem affectabant. Fundanium enim, mirificam Nasidieni hominis divitis, sed humanitatis urbanitatisque expertis coenam lautissimam casumque iniquum, quo convivarum laetitia repente disturbata esset, describentem facit. Plerumque etiam Stoicorum sententias ludibrio habet (I, 3; II, 3; II, 7) irridetque eos, quod promissis barbibus, corpore inculto, laceris squalidisque palliis in publicum prodire soliti sint, demonstrat, quam perversa eorum præcepta fuerint. Ita summa cum festivitate ac elegantia deridet in satira libri secundi tertia Stoicorum illud: „omnem stultum insanire.“ Damasippum enim, hominem ridiculum, qui re familiari perdita, Stoica barba superbiens incedebat, festis Saturnalibus in villam Sabinam irruisse fingit, qui primo poetam ob ignaviam in scribendo vituperat, tum omnes homines, Stoicis exceptis, qui solos se sapere venditabant, ex Stoicæ philosophiæ rationibus stultitiæ atque insanitiæ arguit, denique Horatium ipsum insanire dicit. Simili modo in septima eiusdem libri satira alterum paradoxum Stoicorum: „solum sapientem esse liberum et omnem stultum servum“ summa cum elegantia ac festivitate deridet. Maxima vis comica in eo cernitur, quod ad hunc finem Davus, Horatii servus, Saturnalium licentia abusus, magister virtutum inducitur, qui ipsi Horatio vitia obicit. In tertia denique libri primi satira tractat Horatius tertium dogma Stoicorum quod profitebantur: omnia peccata esse paria.“ Ut in his tribus satiris homines Stoicorum philosophiæ addictos Horatius insectatur, ita in quarta libri secundi Epicureos exagitat. Ad luxum enim gulæ inservientem perstringendum primæ

partes Catio cuidam deferuntur Epicureo, qui magistri sui præcepta sublimia de re culinaria cura Horatio communicat; lepidissime autem exagitantur, qui summum bonum in vini epularumque voluptatibus quærunt.

In omnibus his satiris Horatius res tractavit, quæ in quoque convivio et in sermonibus tractari possunt, quæque oblectationi potissimum inserviunt. Duæ sunt satiræ, quæ minime ad vitia perstringenda aut irridenda compositæ sunt: quinta et septima libri primi. In quarum altera Lucilii exemplum secutus iter suum Roma Brundisium cum Mæcenate confectum facete poeta describit, atque tantum in illis rebus versatur, quæ sibi in itinere obvenerunt, ita ut valde fallatur, si quis in hac satira aliquid earum rerum investiget, quas in ejusmodi carminibus nostris temporibus expectamus. <sup>83)</sup> Huic simillima est septima eiusdem libri, in qua Horatius litem P. Rupillii Regis et Persii cuiusdam coram M. Bruto prætore Clazomenis actam et ut ipse dicit (I, 7, 3) Romæ lippis et tonso-ribus notam, lepidissime narrat et æque ac illa nullos errores aut imbelicilitates hominum reprehendit.

In aliis quod hic pertractamus generis carminibus Horatius sese ipsum fecit fundamentum. Huc pertinent præcipue libri primi quartum et decimum, secundi primum. In his satiris partim defendit se poëta contra homines malevolos, qui ipsius satiras reprehendebant et ipsum Lucilio inferiorem aiebant, quique, quod hominum vitia stultitiamque liberius carpsisset, vitam eius suspectam reddere conabantur, partim autem exponit, quæ necessitudines inter se et Lucilium intersint et quare ipse satiras scriptas velit. In nonnullis satiris Horatius de conditione vitæ suæ loquitur. Huc pertinet libri secundi sexta, quæ potius idyllium appellari debet, quippequæ felicem poëtæ vitam depingat, qui agello suo contentus, nihil eorum bonorum cupit, ad quæ capienda permulti omni studio incumbunt. Eandem rem persequitur in sexta libri primi,

<sup>83)</sup> Cf. Roth. Zur Theorie und inneren Geschichte der Satire. Stuttgart 1848.

in qua vita et mores poëtæ optime depinguntur, docemur de poëtæ patria patreque, qui summa cum reverentia gratissimoque animo commemoratur. Pluribus verbis exponit poëta, se neque ambitione ductum in Mæcenatis amicitiam irrepsisse, sed eam virtutibus ex optima patris educatione haustis assecutum esse, neque nunc illius gratia aut ad captanda in re publica munera, aut ad opprimendos inimicos abuti velle, sed sua sibi placere.

Hoc est argumentum satirarum. In omnibus autem his satiris Horatius, ut supra expositum est, in ipsa vitia, non in homines invenitur. Etiam tum cum singulos certosque homines ludibrio penstringit, in his insectandis non perseverat, sed maiorem satiræ partem ad generalia traducit. Tunc cernitur in omnibus satiræ Horatianæ partibus animi candor quidam atque bonitas, qua fit ut vitia hominum uti sola stultitia peccantium exorta irrideat magis, quam acerba castigatione insectetur. Hoc est illud, quod ipse de se profitetur sat. I, 1, 24: „quamquam quid vetat ridentem dicere verum.“ quibus consentit indicium Persii, Lucilium comparantis cum Horatio sat. I, 114 sq:

. . . . secuit Lucilius urbem

Te Lupe, te Muti. et genuinum fregit in illis.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico

Tangit et admissus circum præcordia ludit,

Callidus, excusso populum suspendere naso.

Atque hæc satis esse putamus, ut intelligi possit, Horatium in his carminibus varias res vario modo tractavisse ita, ut iis satirarum nomen iure imposuerit (sat. II, 1, 1; II, 6, 17) neque abicienda est hæc eorum inscriptio, quandoquidem proprietas huius generis ea optime designatur. Quod autem Ep. I, 4, 1; II, 2, 60 satiras sermonum appellatione denotavit, ideo id fecit, quod earum elocutio ad sermonem quotidianum proxime accedit. <sup>84)</sup>

Restat, ut enarratis satirarum Horatianarum argumentis, de

<sup>84)</sup> Sat. I, 4, 4; II, 6, 17, Cf. Morgenstern. de sat. atque epist. Hor. discrimine. Gedani 1801.

forma, qua compositæ sunt, pauca dicamus. Satiram Horatianam triformem esse, nemo negabit. Poëta enim aut solus rem exponit, nulla alia adhibita persona, cuiusmodi magnam partem sunt satiræ libri primi, aut duas personas sustinet et partim de suo aliquid admiscet, partim alios loquentes inducit, aut denique ipse nihil narrat, sed ut in dramate alios colloquentes introducit. In disputatione et dialogo scriptæ sunt omnes fere libri secundi, in prima enim auctor ipse cum Trebatio, cum Damasippo in tertia, in quarta cum Catio, in quinta deinde Ulixes cum Tiresia, in septima denique Davus servus cum Horatio hero colloquitur.

Cum iam ex his, quæ exposuimus, satis appareat, quid Horatius in satiris spectaverit, tum iuvabit etiam paucis consideravisse, quomodo omnem satirarum sermonem instituerit atque moderatus sit. Cum enim Lucilius priscae comœdiæ auctores mutatis tantum pedibus numerisque secutus esset, Horatius horridæ illi et impolitæ orationi substituit sermonem talem, qui vitæ quotidianæ sermoni videretur simillimus, ita ut ipse eum a prosa oratione numeris tantum differre dicitet. Quamquam autem genus dicendi sermoni propinquum <sup>85)</sup> et repens per humum esse videtur, <sup>86)</sup> tamen elocutio nusquam est humilis, nusquam abiecta imo vel tum est casta, tersa, elegans, facilitate, venustate, simplicitate insignis, cum res foedæ et turpes designantur.

Huic sermoni poëta mirifica arte adaptavit heroicum versum, sed non illum, quem in epicis, quæ vocantur, poëmatibus invenimus, sed in sermocinandi speciem conformatum; voluit enim hæc poemata quam maxime ad naturam orationis prosæ accedere. Itaque numeri cum videantur solutiores atque negligentiores, quandoquidem cum versu hexametro Vergilii, Ovidii, aliorum ad laudem concinnitatis et elegantiae haudquaquam comparandi sunt, tamen ista ipsa negligentia, quæ primo aspectu videtur, neutiquam est fortuita, sed ad artis suspensionem removendam studiose quæsita,

<sup>85)</sup> Sat. I, 4, 41.

<sup>86)</sup> Ep. II, 1, 250.

imo probanda et admiranda. <sup>87)</sup> Atque omnino Horatium in hac re artis gnarum fuisse, documento sunt hexametri, quos in carminibus adhibuit. Quod vel ex eo colligi licet, quod poeta Lucilium identidem propter numerorum duritiem et asperitatem graviter reprehendit. Nam sat. I, 10, 1 sic effatur:

„Nempe incomposito dixi pede currere versus  
Lucilii. Quis tam Lucilii fautor inepte est,  
Ut non hoc fateatur.“

Cf. sat. I, 4, 8; I, 10, 56. In satiris nimirum probe perspexerat poeta, versum hexametrum, qui haberet maiorem quandam gravitatem et severitatem pro suo scribendi consilio temperandum esse. Quam ob rem versibus suis sane maiorem concessit libertatem ut cum in exitu eorum vocabula monosyllaba admisit. aut coniunctiones posuit, quæ ad versum insequentem pertinerent, cum elisionibus, quas dicunt, usus est et crebrioribus et insolentioribus, cum cæsuras libentius variavit, cum denique numerorum inusitatam quandam inæquabilitatem adhibuit. Sed hic commoneamus necesse est, non omnes satirarum versus ab hexametro epico abhorrere; sunt enim nonnulli optimi, velut sat. I, 1, 68; 114; I, 5, 9, 74; 6, 23; II, 1, 14, 15; 3, 136, 223; II, 8, 78 al.

Jam ut ostendamus maiore licentia satirarum versus compositos esse conferimus hæc: Ut in hexametro epico usus dactyli prævalet, ita in satiris Horatii spondeus, cuius quidem pedis tarditate efficitur, ut sublimior hexametri dactylici sonus admodum submitatur. Satis multi apud Horatium inveniuntur hexametri, in quibus quatuor primi pedes sunt meri spondei. Vocabulo monosyllabo epici poëtæ raro hexametrum concludunt, neque fere alias, nisi tum, cum vocabulum id maiore quadam vi est pronuntiandum. At Horatius hac eiusmodi vocabulorum positione utitur non pro-

<sup>87)</sup> Horatium non artis vitio sed consilii lege sui in satiris et epistolis deseruisse normam versus heroici C. Morgenstern in supra iam laud. lib. p. 28—50 idoneis rationibus demonstravit. Cf. Klotz. Lectiones Venusinæ p. 82. sq. Kirchner. præf. ad sat. Hor. I. Bd. p. 45. Feldbausch. zur Erkl. des Hor. II p. 10.

nuntiationis intendendæ causa, sed ideo tantum, ut sermonis negligentiam imitari videatur. In satiris insunt 116 versus, qui vocabulo monosyllabo terminantur. <sup>88)</sup> Epicos poëtas vitare constat interpunctionem graviolem non longe aute finem versus, Horatius fecit hoc sæpius <sup>89)</sup> ut oratio similior prosæ orationi fieret versusque inter se artius iungerentur. Quin etiam non raro fit in satiris, ut ordo vocabulorum ante monosyllabam vocem finiatur, atque interposita interpunctione cæsura quædam hanc ultimam vocem antecedit. Haud raro poeta binos versus inter se ita connectit, ut in fine prioris ponatur pronomen vel coniunctio, quæ pars est versus insequentis, velut sat. 1, 3, 36; 9, 52. al. Huic licentiæ similis est illa, qua in pede ultimo hexametri vocabulum dis-cinditur ita, ut una eius pars primo, altera insit versui insequenti, quod in satiris occurrit quinquies, velut I, 2, 62: inter·est; I, 6, 58: circum·vectari; I, 9, 51: uni·cuique; II, 3, 17: unde·octoginta; ibid. 179: iure·iurando. <sup>90)</sup>

Poëtæ epici elisionibus atque ecthlipsibus, quas grammatici dicunt, quantum possunt in hexametro abstinent; has enim licentias poetis comicis tantum concedendas esse censebant. In Horatii quoque satiris creberrimæ sunt, et id quidem in omnibus hexametri locis, neque modo in polysyllabis verum etiam in monosyllabis vocabulis. <sup>91)</sup> In epistulis autem Horatius consilio ac cogitate elisiones quantum poterat, devitasse videtur, ut politius limatiusque flueret oratio. —

Si numerum elisionum ab Horatio in satiris adhibitaram respicis, hæc habeas. Vocabulorum polysalloborum elisiones inveniuntur in satiris 850 ita, ut in iis in altero fere quoque versu elisio insit, in epistulis 400, quamquam versuum numerus in satiris fere par est numero versuum epistularum. Ut exempla nonnulla profe-

<sup>88)</sup> Eiusmodi versus 50 in epistulis inveniuntur,

<sup>89)</sup> in satiris quinquagens, in epistulis viciens.

<sup>90)</sup> In epist. II, 2, 93; 188. ad Pis. 290; 424.

<sup>91)</sup> Cf. Lehrs in Fleckeisens annal. III a. 1864 p. 180 sq. Kirchner. in edit. sat. præf. p. XXX sq.

ram sat. II, 4, quæ continet 95 versus, habet sex et viginti elisiones, sat. II, 8 intra totidem versus quinque et viginti, ut in iis in quartum quemque versum elisio cadat. Sat. I, 4 intra 143 versus quadraginta sex continet elisiones, sat. I, 5 intra 104 versus triginta quatuor, sat. I, 8 intra 50 versus decem et octo, sat. I, 10 intra 92 versus duas et triginta, sat. II, 7 intra 118 versus elisiones quinque et quadraginta, ut in iis in tertio quoque versu elisio insit. Nulla autem satira aut epistula invenitur, quin ea elisionem contineat, quod in carminibus sæpius accidisse Lehrius p. 183 ostendit. Interdum tamen viginti vel etiam triginta versus inveniuntur, qui nullam elisionem contineant, cuius rei exempla hæc sunt in satiris <sup>92)</sup> sat. I, 4, 44—56. II, 5, 61—80. (excepto versu 68.)

Quid intersit inter Horatii satiras et inter epistulas, facillime ex monosyllabis elisione cum sequente vocabulo copulatis intelligitur. In epistulis monosyllabæ voces præter pronomina „me„ et „te“ nunquam cum sequente vocabulo coalescunt, <sup>93)</sup> in satiris autem monosyllaborum usus diversus est. Nam non solum numerus eorum, quæ cum sequente vocabulo coniunguntur, multo maior est (sunt exempla duo et nonaginta) sed etiam alia vocabula ac pronomina elisioni patent. Obnoxia elisioni inveniuntur in satiris pronomina me, te, mi, tu, qui singulari numero positum, se, quæ relativum plurali numero generis neutrius positum, conjunctiones cum, si, nam, dum, num, ni, quo, adverbium tum, iam, quam, præpositio cum, substantivorum formæ rem, re, di, verbum auxiliare, quod est sum. <sup>94)</sup>

Jam venio ad longarum vocalium elisionem Horatianam, quæ, aliud speciem præbebit discriminis inter satiras et inter epistulas. Nam in epistulis, si cum satiris comparas, longarum elisionem, — excepto o longo, quod etiam in his sæpe elisioni patet — perquam raro

<sup>92)</sup> In epist. I, 7, 33—54; I, 16, 56—79; II, 1, 141—175; 226—244; 253—270; II, 2, 35—63. cf. Lehrius p. 182.

<sup>93)</sup> Exempla sunt quatuordecim: I, 1, 3; 27; I, 7, 24; II, 1, 111; II, 2, 79; 138; I, 1, 75; I, 2, 33; I, 12, 14; I, 14, 41; I, 18, 112; II, 2, 133; II, 2, 212; ad Pis. 103. v. Lehrius. p. 187.

<sup>94)</sup> cf. Lehrius. I. I.

adhibuit. Sed singulas vocales deinceps perlustremus: <sup>95)</sup> a longum in satiris bis et viciens elisione decurtatum est, <sup>96)</sup> in epistulis sexiens, <sup>97)</sup> e longum in satiris sexiens cum sequente vocabulo est copulatum, in epistulis bis, <sup>98)</sup> i longum in satiris quater et quadragens, in epistulis quater, <sup>99)</sup> u finale in epistulis nunquam elisioni obnoxium invenitur, in satiris ter (I, 1, 76; I, 3, 111; II, 2, 61.) ae diphtongus in satiris octiens cum sequente vocabulo coalescit <sup>100)</sup> in epistulis semel (I. 6, 26.) o longum satis crebro elisioni patens invenitur. In epistulis octo et quinquaginta exempla leguntur, in satiris novem et octoginta, quæ enumerare longum est. Jam ad formam verbalem est transeamus. In altera elisionis syllaba nihil sæpius inveniri, quam formam verbalem est Lehrsius p. 181 exposuit. Hoc loco adnotabo id vocabulum haud raro in exitu versus cum atecedente vocabulo in unum coalescere cf. Lehrs p. 190. In satiris quinque et viginti exempla leguntur, septem post longam, in epistulis sedecim. <sup>101)</sup> Alia monosyllaba in exitu versus posita post voces elisioni obnoxias in epistulis Horatius non adhibuit, in satiris hic, hæc, an, es. Exempla sunt hæc I. 2, 22; 3, 39; 4, 43; II, 3, 273. Postremo commemoro, satirarum nullam inveniri, quin nonnullos plurium elisionum versus contineat. At multa sunt carmina et epistolæ, quæ nullum habent huius generis versum. Haud raro fit, ut in huiusmodi versibus altera elisionis syllaba particulam „et“ vel formam verbalem „est“ contineat. Versus plurium elisionum reperiuntur omnino in satiris

<sup>95)</sup> Lehrs p. 192 sq.

<sup>96)</sup> sat. 1, 2, 63; 1, 5, 64; 1, 6, 64; 1, 9, 45; II, 1, 71; II, 3, 244; II, 3, 246; II, 6, 28 al.

<sup>97)</sup> Ep. 1, 1, 87; 1, 6, 24; 1, 14, 13; II, 1, 31 (bis) II, 2, 200.

<sup>98)</sup> sat. 1, 2, 100; 1, 10, 2; II, 3, 47; II, 3, 88; II, 3, 162; II, 5, 97; in ep. 1, 12, 13; II, 2, 64.

<sup>99)</sup> Ep. 1, 12, 5; ad Pis. 304; 417, 456, Sat. 1, 1, 85; 1, 2, 79; 1, 4, 72; 109; 1, 5, 29; 1, 6, 9; 115; 1, 7, 19 al.

<sup>100)</sup> sat. 1, 1, 20; 1, 2, 82; 1, 6, 38; II, 1, 72; II, 3, 276; II, 4, 7; II, 5, 100; II, 6, 84.

<sup>101)</sup> sat. 1, 2, 82; 84; 93; 1, 6, 111; 1, 10, 2; II, 6, 67 al. Ep. 1, 1, 87; 1, 18, 87 al.



171, in epistulis 46. Ac primum duarum elisionum versus sunt omnino 180, quorum leguntur in satiris 140, in epistulis 40, trium elisionum versus Horatius habet quinque in epistulis, novem et viginti in satiris, <sup>102)</sup> quattuor elisionum versus apud Horatium tres inveniuntur, in epistulis unus (II, 1, 46,) in satiris duo I, 3, 20; II, 3, 86. Postremo versus, quorum ultima vocalis ante vocalem sequentis versus eliditur reperiuntur in satiris duo, velut I, 4, 96; I, 6, 102, in epistulis nullum est huius elisionis exemplum.

Jam nobis ad alias proprietates metricas, quæ in Horatii satiris cernuntur, describendas transeundum est. Ac primum me convertam ad *συνζήσεις*, quarum numerus maior est in satiris, quam in epistulis; in satiris hæc vocabula *συνζήσει* obnoxia reperiuntur: cerea I, 8, 43; deero I, 9, 56; II, 1, 17; 2, 98; dehinc I, 3, 104; dein I, 3, 101; 5, 97; deinceps II, 8, 80; deinde I, 5, 37; 6, 119; II, 8, 85; lusciniæ II, 3, 245; Nasidieni II, 8, 1; 75; 84; nihilo I, 5, 67; ostrea II, 2, 21; quoad II, 3, 91; vindemiator I, 7, 30. <sup>103)</sup> Tum hiatus admittitur ab Horatio in satiris tantum et quidem ter I, 1, 108; 9, 38; II, 2, 28; in epistulis nusquam; deinde syllabis longis ut brevibus utitur poeta quinquies I, 2, 30 (fornice) I, 2, 71 (velatumque) II, 3, 38 et 177: (cave), II, 3, 43 (mala) <sup>104)</sup> postremo syllabæ breves in arsi in his locis inveniuntur I, 3, 7; 4, 82; 111; 5, 90; II, 3, 22; 260 al.

Atque hæc cum ita sese habeant, propemodum sponte intelligitur, cur poëta ipse satiras non modo sermoni propriiores iudicaverit <sup>105)</sup> sed etiam sermonum nomine insignire non dubitaverit. <sup>106)</sup>

Horatium cum comparemus cum Lucilio, errare mihi non videor, cum contendam illum unica inventionis laude Lucilio minorem esse, ceteris omnibus rebus autem meliorem ac potio-rem.

<sup>102)</sup> Ep. I, 1, 11; I, 7, 57; I, 18, 76; II, 1, 114; ad Pis. 443, Sat. I, 1, 51; I, 3, 111; I, 6, 27; I, 10, 48; II, 3, 213; II, 4, 7; II, 6, 28; II, 7, 67 al.

<sup>103)</sup> In ep. anteis I, 2, 70; deest I, 12, 24; Vultei I, 7, 91.

<sup>104)</sup> in epistulis semel I, 13, 19 (cave.)

<sup>105)</sup> sat. I, 4, 42 sq.

<sup>106)</sup> Cf. Ep. I, 4, 1; II, 1, 250; II, 2, 60.

Quod iudicium etiam Quintilianus comprobare videtur cum ait J. O. X, 1, 94; „Multo enim eo (Lucilio) est tersior (Horatius) ac purus magis et ad notandos hominum mores præcipuus.“ Quo factum est, ut Horatii poemata ad omne tempus non solum exemplum iis, qui eius vestigia ingressi sunt, sed etiam clarissima ingenii manserint documenta.

Sed satis multa verba fecisse videor de satiris Horatianis. Nam ex his iam, quæ explicata sunt, elucere arbitror, quatenus Horatius satiram Romanam excoluerit. Nunc ad Persii et Juvenalis opera perspicienda et iudicanda pergamus. De qua re liceat nobis esse brevissimis.

Post Horatium maximam gloriam in satiris scribendis adepti sunt A. Persius Flaccus et Dec. Junius Juvenalis. Quæ satiræ, temporibus rebusque plane mutatis, a natura hilari ac festiva Horatianarum alienæ, maledicentia ad Lucilianas proxime accedunt. Quoniam vero natura satiræ utriusque poetæ tam demum recte æstimari potest, cum ætas, qua uterque floruit, pernosceretur atque explanabitur, dicendum est nobis de ætate, qua uterque poeta vixit. Atque ut incipiamus a Persio, natus hic erat Volaterris in Etruria prid. Non. Dec. a. u. c. 787 equestri ordine, mortuus a. d. VIII. Kal. Dec. a. 815 u. c. viginti octo annos natus. Juvenis erat acerimo virtutis amore, animo composito et ad severitatem propensiore, vitiorum odio incensus. Quam animi inclinationem deinde auxit Stoicorum disciplina, in quam sub auspiciis Cornuti <sup>107)</sup> in cuius institutionem vix sedecim annos natus venerat, summo studio incubuit. In ista consuetudine omnem operam ad addiscenda Stoicorum placita contulit, unde castum ac modicum ingenium servavit. Virum his virtutibus præditum turpissima scelera, quibus civitas Neronis tempore maxime vexabatur, maxima indignatione tulisse non est, cur miremur. Et re vera facies rei publicæ ab Augusti usque ad Traiani tempora erat tristissima. Augusto mortuo omnia libidinum genera, quæ olim pudore et legibus quodammodo reprim-

<sup>107)</sup> Cf. Pers. sat. V.

mebantur, animos Romanorum occuparunt, præsertim cum muni-  
rentur et publica auctoritate et exemplis imperatorum, nihilque  
erat, quod istis profligatissimis hominibus magis approbaretur, quam  
exquisita in voluptatibus inveniendis solertia. Cum homines nequis-  
simi rebus moderandis administrandisque præessent, ingens luxu-  
ries animos Romanorum corruperat et antiquam simplicitatem mo-  
rum expulerat. Hic erat rerum status, qui neque a Vespesi-  
ani frugalitate, neque liberalitate Titi, qui amor et deli-  
ciæ generis humani vocabatur, satis recreari poterat. Nervæ  
demum et Traiani imperio feliciora tempora vidit civitas Romana.

Hæc turpia vitia et corrupti ac depravati mores Persio, viro  
præclaræ virtutis et sinceræ pietatis, ad satiras componendas spi-  
ritum dederunt. Itaque summam iram et indignationem inde mo-  
tam in satiras effudit severitateque Stoica in civium scelera ac  
nequitias invectus est. Ratio autem, qua Persius in vitia homines-  
que nefarios invehebatur, diversa fuit ab illa, quam in satiris Ho-  
ratiæ reperimus. Hoc enim Persii est proprium, ut vitia hominum  
acriter iusectetur. Horatius, natura comis et hilaris, honestatem  
cum voluptate iungens, stultitiam ridet et monitorem amicum sem-  
per agit benevolumque, Persius vero tanto fervore tantaque acer-  
bitate hominum scelera aggressus est, ut iuvenis summæ castitatis  
ac verecundiæ obscœna nudis verbis depingere non dubitaret. Pro  
lepore illo ac urbanitate, qua Horatius et Lucilius ad cives monen-  
dos utebantur, in Persii satiris invenimus vim, acerbicatem, gravi-  
tatem, durtiam. Neque id mirum. Nam Augusti ætate qua Ho-  
ratiæ floruit, palam ridere licebat, Neronis vero tempore ea erat  
conditio, ut poeta paucis tantum amicis, quibuscum consiliorum  
societate morumque similitudine coniunctus erat, scribere auderet,  
quo factum est, ut illa indignatio, secleribus flagitiisque illorum  
temporum commota, eo liberius et vehementius erumpere potuerit.  
Versu hexametro adhibito Persius satiras sex conscripsit, quibus  
aut epistularum formam induit, aut dramatica ratione utitur. Per-  
sii sermonem, quo in satiris usus est, artificiosum, durum obscu-

rum esse inter omnes constat. Quæ obscuritas ex nimia brevitate sententiisque abruptis profecta est, quod Persius Stoicos, quorum e fontibus doctrinam et eruditionem hausit, imitari studuit. Hi rerum copiam, verborum parsimoniam amabant, <sup>108)</sup> ita Persius in illorum quoque vitia incidit. Nihilominus antiqui scriptores consentiunt in Persio summis laudibus extollendo. Nam in vita eius, quæ Suetonio tribui solet, hæc leguntur: „Editum librum continuo mirari homines et deripere coeperunt.“ Nec gloriæ laudem eidem abiudicat Quintilianus, cum ait J. O. X, 1, 94: „Multum et veræ gloriæ quamvis uno libro Persius meruit,“ neque Martialis, qui Epigr. IV, 29, 7 hoc memoriæ prodidit:

„Sæpius in libro memoratur Persius uno,

„Quam levis in tota Marsus Amazonide.“

Quæ testimonia demonstrant, eum cœvis obscurum non fuisse. Sed satis hæc sunt de Persii satiris.

Jam ad Juvenalem ultimum celebrem poetam satiricum trans-eamus. Juvenalis natus circa id tempus, quo Persius satiras suas scripsit, Hadriani usque tempora attingisse videtur. <sup>109)</sup> Vixit igitur ea ætate, qua „difficile erat, satiram non scribere,“ <sup>110)</sup> nam corrupti civium mores, ut iam supra memoravimus, totam civitatem occupaverant, et lugendam paraverant civitatis ruinam. Cum immania illa vitia videret, quæ animum poetæ magnopere commovebant, ad satiras componendas accessit, in quibus eodem ardore eademque indignatione, <sup>111)</sup> qua Persius, nulla ordinis ratione habita, in vitia et scelera hominum invectus est, et censoria severitate ea flagellavit. Alienus ab alacri illo, quo Horatius gaudebat, animo, non irridendo sed acriter exagitando et flagellando commu-

<sup>108)</sup> Cf. Cic. de orat. II, 38; III, 18.

<sup>109)</sup> Juvenalis vita caligine quadam premitur, sed suspicatus est Heinrichus de interpretandis Juvenalis satiris optime meritis, vixisse eum inde ab 42 usque ad 122 p. Chr. Cf. C. Synnerberg. de temporibus vitæ carminumque D. Junii Juvenalis rite constituendis. Helsingforsiae 1866

<sup>110)</sup> Inv. sat. I, 30.

<sup>111)</sup> Cf. Juvenalianum illud (sat. I, 79) si natura negat, facit indignatio versum.



ni labi succurrere studuit. <sup>112)</sup> Mira arte, vivis coloribus, liberri-  
mo sermone universæ miseræ ætatis suæ imaginem expressit.  
Acerrime perstrinxit senatores (sat. II, 121), qui gravitatem simu-  
lantes, omni turpitudine et pravitate famosi erant, accerbissime  
persequitur adultores, homines gulæ nimis obsequentes, molles,  
effeminatos, nebulones, sicarios, testamentorum captatores; acerrime  
vexat mulierum voluptates libidinosas, <sup>113)</sup> denique omnes effre-  
natis libidinibus deditos. Ardentibus coloribus vitiorum scelerum-  
que imagines plerumque adumbravit; <sup>114)</sup> vixit nempe sub Traiano,  
quo regnante in vitia et turpitudines hominum tuto invehi cuique  
licebat, aut satiras olim iam scriptas, sed paucis tantum amicis  
recitatas, secure evulgare. Itaque Juvenalis sedecim satiræ, ver-  
sibus hexametris compositæ, ingentem animi acerbitatem, ætatis  
suæ moribus omni vitio contaminatis procreatam, Domitiani sævo  
imperio diu repressam et quasi quandam in describendis pingen-  
disque cuiusvis generis turpissimis flagitiis delectationem produunt.  
Raro iocis et facetiis usus est, nam res horribiles, quas tractat  
risum excitare non possunt, sæpius lædit, quam ludit, increpat ma-  
gis quam pungit, utitur magis declamatorio ac grandī, quam hu-  
mili genere dicendi. Optime Jul. Cæs. Scaligerus tres clarissimos  
Romanorum satiricos distinguisse videtur, cum ait: <sup>115)</sup> „Juvenalis  
ardet, iustat aperte, ingulat, Persius insultat, Horatius irridet.“  
Cum in universum Persii et Juvenalis satirarum rationem respici-  
amus, negari non potest, eos ab Horatio argumentorum varietate,  
urbanitate inventionis, festivitate, lepore ac facetiis longe esse su-  
peratos, attamen hoc confitendum est, Juvenalem in scelerum ima-  
ginibus adumbrandis singulari ingenio præstitisse, Dubitari non potest,  
quin omnes diversis suis virtutibus parem laudem sint consecuti.

<sup>112)</sup> Munding: Über die Satiren des Juvenal in religiöser und sittlicher  
Bedeutung, Progr. des Gymn. in Rottweil 1864.

<sup>113)</sup> Cf. sat. VI, qua depravati mulierum mores acerbissime castigantur.

<sup>114)</sup> Cf. P. Doetsch: Juvenal. Ein Sittenrichter seiner Zeit. Ein Beitrag  
zur Sittengeschichte Roms unter den Kaisern nach den Satiren des  
Dichters zusammengestellt. Leipzig 1874.

<sup>115)</sup> Poet. III, c. 98 p. 378.

 62	<b>FEDAG. BIBL. WOJEW. W KRAKOWIE</b>
	Spr. 52

**Scriebam Cal. Jun. MDCCCLXXXIV.**

**Josephus Sękiewicz.**